

R E L I G I O

E J U S Q U E

NATURA ET PRINCIPIUM.

S I V E

JOH. MELCHIORIS V. D. M.  
Ad Amicum Epistola , quā ad  
examen revocatur

A N O N Y M I

*Tractatus THEOLOGICO POLITICUS con-  
tinens Dissertationes aliquot quibus ostenditur (ita  
jactat) libertatem Philosophandi non tantum sal-  
vā pietate & reip. pace posse concedi , sed ean-  
dem nisi cum pace reip. ipsaque pie-  
tate tolli non posse &c.*

EDITIO ALTERA.



U L T R A J E C T I ,  
Apud GUILJELMUM CLERCK , Typograph.  
ciclo c LXXII.



Tit. cap. II. vers. II, 12.

**E**πεφάνη ἡ χάρεις Θεοῦ ἡ σωτήριος πᾶσιν ανθρώποις πανδόκοσα ἡμᾶς, ἵνα δύνησάμενοι τὴν αἰσέβειαν καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας, σωφρόνως καὶ δικαίως καὶ ἐνσεβῶς γῆσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰώνι.

# LECTOR!

**R**ationem hujus qualiscunque opellæ à me si exigis, eam Scriptionis quidem alteram, alteram editionis ita habeto. Postquam liber Anonymi ad manus meas pervenisset, dolebam vehementer eo rem Christianam procedere indies, ut quanto magis patula est semita Dei sancta, etiam ut stulti illam ignorare non possint, tanto tamen gravius multos in ea quasi studio impingere & seipso præcipitare videamus, quemadmodum Esaias & Hoseas Prophetæ præviderunt utrumque & prædixerunt.

Miserum sane, postquam lex Dei in medium omnium prolata & exposita est, idem fieri quod olim, cum labiis & manibus sacerdotum esset concredita, nempe ut multi pascua & aquas conculcent & conturbent pedibus, quæ erat Dei tum temporis apud Ezechielem querela.

Videbam id egisse authorem illum, quisquis est, ut fluctus periculosos in simpulo moveret & salubrem Dei fontem non insipidum modo redderet, sed & intoxicheret. Petulantissima Philo-moria, sane ac sobria Philosophia ausa mentiri frontem eas h̄ic eructabat hypotheses quibus ad hodiernum mundi palatum nullæ possent propinari gratiores. Ea enim hodie vox est non paucorum, vix ac ne vix quidem referre quicquam, cuinam ex tot mundi sectis te applies qui salvari post hanc vitam desideras modo honeste, id est, sine aperta proximi injuria & molestia vivas. Quasi non ille ipse

qui dixit. Non occides, non furaberis, etiam in eum  
cum vanitate atque contumelia habere & usurpare  
nomen suum vetuerit. Istud autem pejorum, sed  
utinam pauciorum votum est ut conscientiam queant  
exuere & vincula Dei excutere, ut jure naturae omne  
id sit licitum quod libitum est. Qui quidem si soli ex  
hac infelici messe in suam aream aliquid traducerent,  
nihil ferè dicendum esset, quam, qui sordidus est,  
sordescat adhuc. Imprimis quum in tam clara luce  
versemur, ut nemo veritatem possit non videre nisi qui  
amat præ luce tenebras. Attamen ne caro nequam  
aliquid in suam rem trahat, quo infirmos aliquando  
obruat, sedulo danda est opera. Itaque imprimis Sa-  
cra Scriptura in arce locanda & à strophis horum  
**נַבְלִים** seu nebulonum vindicanda, ne testes illi  
duo Prophetici atque Apostolici post recuperatam cœ-  
lestem autoritatem, eminentiam & efficaciam rursus  
faccis induantur, aut quod scelestius est, in terram pro-  
jicientur & occiduntur. Non ferendum ut ΜΥΣΤΗ-  
ΡΙΑ ΤΗΣ ΕΓΓΕΒΕΙΑΣ, quæ S. Scriptura pro-  
ponit vel à vera religione ad superstitionem, vel a pieta-  
tis praxi ad nudam & ferè inutilem speculationem re-  
legentur. Et utinam non in ipso Ecclesiæ theatro non-  
nunquam illæ voces inter non ita malos audirentur de  
religionis praxi quibus pueri in Christo in hac ipsa de-  
via paulatim deduci possent. Audias enim aliquando  
illi, quam mox dicebam, honestati nihil ferè addi  
præter difficultem quandam in rebus mediis scrupulosi-  
tatem aut devotionem & Spiritualitatem aliquam,  
quam ubi presseris attentius vix quicquam præter um-  
bram relinquitur vel Superstitionem. Hinc commu-

nō cum Deo, quique inde est fructus & sensus Divitiarum & suavitatum Ejus itemque consequens abnegatio sui ipsius, Amor & glorificatio Dei, observantia praeceptorum & cursus in viis Ejus & quae sunt alia, integris etiam voluminibus ita describuntur, ut si quid valeas intelligere per multos saltus & anfractus verborumque sesquipedalium & inane crepitantium ampullas, ista tandem quasi calidior fidei vita tibi propinatur, ut nempe intra te sentias (hoc initium est sc.) communionem cum Deo multaque mysteria & suavitates plurimas (quas explicare si velis, nodus sint inexplicabilis) ex verbo non suggestas saltem non per illud in conscientia formatas, siquidem illud externum tantum hominem tangit, cuiusque si summa quedam capita teneantur, jam Spiritus illa mysteria, nescio unde & qua ratione nisi per entusiasmum apportet. Unde etiam illæ divitiae (utpote quas in numerato habere non potes quum certa forma careant) ita aliquando evanescent ut de Dei non gratia modo sed & existentia despereres, nisi forte ater catellus subeat (non tectum, quod mali omnis erat apud superstitionem gentilitatem) sed lectum tuum, quem putas Diabolum esse, eaque occasione pro carbore thesaurum tuum subito rursus inventias. Inde amandus tibi porro Deus ut summum bonum. Sed quale bonum? origo animæ tuæ. quomodo summum? divitiis, dignitatibus, voluptate & corporis titillatione excellentius. Porro quenam via Dei, quenam præcepta observanda ut Deus à te peccatore dignè glorificetur? nempe ut non ames opes, honores, delicias hujus mundi tanquam summum bonum, & canticè etiam in rebus mediis verseris cum auctoritate quam

dam σώματος & Deo ut origini tuæ constanter adhae-  
reas & in ipso delicieris etiam si in cruciatibus inferna-  
libus & tenebris æternis versari debeas, hoc est, in sum-  
mo malo gaudias fructu summi boni. Ratio illius con-  
fusionis ista est quod tanquam speculativa & minus  
præctica considerantur mysteria illa pietatis (quorum  
epitomen dat divus Paulus 1. Tim. 3: 16.) in Sacra  
Scriptura nobis ita luculenter exposita, quæ continent  
verum illud bonum, & nomen istud Dei amabile &  
gloriosum, quod nempe tanta cum sapientia, sanctita-  
tis, misericordia, longanimitatis & omnium divitiarum  
glorie sue in verbis & operibus demonstratione factus  
sit Deus noster, id est, sapientia, justitia, sanctificatio,  
redemptio, imo omnia. In cuius nominis Dei & veri-  
tatis fide, amore, timore, confessione & sanctificatione  
peccatoris justitia, lætitia, sanctitas & universa salus  
est. Verbo. Mysteria illa non materiam modo & uni-  
cam formam pietatis habent, sed & Spiritu Christi cor  
peccatoris aperiente, sola ejus sunt causa efficiens.

Quare quæ sit vera fides, pietas, sanctitas, religio,  
quæque vera, incorrupta, sola & solida τῆς ἐυσεβίας  
μόρφωσις, ejusque à Deo in Scriptura S. factæ μορ-  
φῶσεως δύναμις tanto minus inutilis videbatur me-  
ditatio. Cumque ab amico uno atque altero moneret  
ut authoris illius male feriati impia quedam paradoxa  
breviter examinarem, id feci prout tempus tum fere-  
bat & animus, nihil de editione publica decernens.  
Sed quum apographum epistola ad amicum, me nescio,  
typographo Ultrajectino traditum esset, ita dedecora-  
tum fuit seu hujus festinatione, seu Correctoris turpi  
inscripçia & oscitania, ut meum vix agnoscerem.  
Istam

Istam editionem cùm audirem jam undique ferè distractam & sub meo quidem nomine ( quod titulus tam non referebat expressum ) dolui lectorem isto modo fraudari. Quare id tandem à me impetravi ut præliterum, subjicerem & tibi, LECTOR AMICE, communicarem hanc qualemcumque Exercitationem, ex qua nihil aliud velim expectes, quam succinctam repetitionem & assertionem religionis nostræ partium & fundamenti. Nam ut longe lateque per omnem campum decurrerem, non operæ videbatur pretium, cùm ferè omnia, idque optimè, dudum ab aliis partitum sint explicata & vindicata. Quæ etiam ratio est, quare in destruendo magis quam in adstruendo laborem collocaverim. Nomen auctoris, cuius ipsum puduit, ego exprimere nolui, cùm magis indignum existimem quod inter bonos nominetur quam Herostri incendiarii. Cæterum si Tibi quoquo modo innotuit ille homo quem ego ex amicorum relatione accepi, facile quem indigitarim conjicies. Vale & veritatem ama quæ est secundum pietatem. Ex oppido Kaldekercke propè Venlonam idib. Ian. c<sup>lo</sup> Id c<sup>lo</sup> LXXII.

## *Epitome Exercitationis.*

**C**casio scriptiorum. *Herbertus de relig. Gentilium.* quâ via occurrendum atheis. pag. 1. author Tractatûs Theologo-Polit. quis censeatur. Ejus Scopus evacuare mysterium salutis nostræ. 2, 3. quâ viâ isthuc contendat. 3. partes & methodus Exercitacionis. 4. mundus ad Dei gloriam, homo ad cultum Ejus conditus. 5. qui tum nondum potuit consistere in justitia commutativa & æquitate erga alios. 5. quid religio? Complectitur cognitionem Dei. etiam ex adversarii principiis. 6. 7. qui oblitus quoque temperantiaz & castitatis. 7. religio peccatoris. 7. 8. Fides quid? 8. non consistit in obedientia. neque in septem illis ab authore dictatis articulis. quos & ipse dubios facit. 9. 10. 11. Quid *justitia* Dei illi significet. 12. Scriptura S. an scientias doceat. 12. charitas erga proximum non est universæ legis impletio. 13. locus Rom. 13. vers. 8. methodus illius epistolæ. 13. Causa pervertendi S. Scripturam. 13. Abraham non nescivit attributa Dei essentialia Exod. 6. vers. 2. 14. quid יהוה. & quomodo Deus ut talis innotuerit. 14. 15. unde אלה. quæ nomina

na Deus in fædere præfetur. 15. non eadem  
omni tempore neque omnibus æquè co-  
gnitu necessaria. 15. An nihil de Deo sci-  
re opus quām quod nemini faciat injuriam?  
16. Loçi Jer. 22. vers. 15, 16. & cap. 9. 24. ibid.  
Peccatoris gloriatio , quod Deus faciat  
Gratiam, justitiam, judicium. 17. id nomen  
Dei est. ibid. definitio Dei. ibid. tropi in  
Scriptura. phrases anthropopathicæ. 18.  
Natura & ratio an peccatori possit præstare  
religionem. dubius adversarius. 19. ejus de  
æterna salute silentium. ibid. quæ obediens  
tia salutaris? 20. probatur carnis impoten-  
tia, 20. 21. Amor Dei. Deus sanctus. pecca-  
tor ab illo aversus. 22. Quid officii exactio  
in peccatore operetur. 23. pecc. nescit  
Deum habere gratiam. illi deest σύνεσις. 23.  
24. revelatio aperit misericordiam veram  
quæ cum justitia consistit. 24. 25. peccato-  
ris hypocrisis. ibid. revelatio necessaria. 25.  
& certa. unde? 26. quibus? 27. convictio  
non efficit in omnibus ejus fidem. 27. im-  
pietas Anonymi circa Prophetiam , Israë-  
lis electionem, miracula, Sp. S. &c. quæ ten-  
dunt ad S. Scripturam cum revelatis my-  
steriis de ponte dejiciendam. 28. 29. Ad-  
versarii blasphemia de D. Iesu. 30. Deus po-  
test hominem facere aliquid cogitare non

mediante phantasia. ibid. Executio mysterii salutis non repugnat constantiae Dei, neque illum dedecet. 30. 31. potuit revelationem atque miracula edere. 31. 32. emblematum sortiuntur nomina & attributa Dei. 32. Causa prophetiarum non sunt phantasmatum ex temperamento, affectibus, educatione, præjudiciis enata. 33. Quid spiritus Dei & Sanctus? 33. 34. is author revelationis. 35. De præjudiciis, affectibus &c. prophetarum. Magi ex oriente non adducti superstitione. 35. Eliseus cur fidicine usus. 35. 36. Jeremiam an maiestates traxerit ad calamitates intentandas. 36. Micha nihil dedit odio. ibid. Nonnullorum in re eadem diversum dicendi genus. ibid. Prophetæ non semper omnia intellexerunt. 37. Iosuæ opinio de solis motu. de solstitio miraculoso. ibid. umbra retroacta tempore Ezechiæ. 38. Salomon Matheoseos an imperitus. ibid. Noah & diluvium. 39. Adam non nescivit Deum omniscium & omnipræsentem. neque Kain, Laban. ibid. multò minus Abraham, alii. Deus cur humanâ specie Sodomam profectus. 40. Quare Deus idem Deus Israëlis. 41. œconomia fœderis Gratiarum. 41. 42. falsi Prophetæ apud Ezech. 14. Sacerdotes, Prophetas &c. an gentes aliæ habuerint. 43. 44.

Mel-

Melchizedek. 43. Abraham an præcepta  
placitorum habuerit. ibid. jus sacrificandi.  
Eumolpidæ , domus Pinatia apud gentiles  
ibid. Ethnici neque à Malach. cap. i. neque à  
Paulo Rom. 3. 2. Iudæis æqui parantur , nisi  
certo tempore. 44. 45. cur Prophetæ ad  
gentes & de gentibus loquuti. 45. differen-  
tia legum. quasdam ut placita pro more  
principis dedit Deus. ibid. Miracula fieri  
possunt. non repugnat legibus naturæ. 46.  
interpretatio Scripturæ. ejus regulæ. lingua  
Hebræa non est dubia. 47. libri nulli muti-  
lati, corrupti, authentici deperditi, neque  
incertorum authorum. 48. vindicatur pen-  
tateuchus. cuius varia loca explicantur. 48.  
49. 50. 51. Lex Mosis scripta quæ? 52. in-  
venta tempore Iosiac. trita ab Esdra. is  
quomodo versatus circa sacrum codicem.  
52. Libri historici à quo consignati. quo si-  
ne. an ordine incomposito & αχεονολόγως.  
53. examinantur loca multa. 53. 54. impri-  
mis illustratur computatio annorum ab  
Exodo ad Templum. 54. 55. Libri chroni-  
corum. 56. Psalmi. Proverbia. Esaias. Iere-  
mias, qui sibi non disconvenit in narratio-  
ne passæ violentiæ. 57. Ezechiel. Ejus  
Epistola *Josepho* allegata non pugnat cum  
Jeremia. 58. Jonas. Jobus. ibid. Nehemias  
graris

gratis singitur nimium μακρόβιος. vidit Iacob  
duam Pontificem. 59. unde discrepancia  
catalogi utriusque Nehem. 7. & Esdr. 2. 60.  
Jechonias απέκτεινε. ibid. Zorobabel geminus.  
61. Apostoli qui fuerint. futilis adversarii  
distinctio. ibid. locus 1. Cor. 7. 62. quid  
differant à Prophetis. quomodo ratiocina-  
ti? 62. Paulus non utitur urbana excusatio-  
ne Rom. 15. ibid. an distinguat Apostolatum  
a doctoratu. 63. non usus fundamentis quæ  
essent collegarum contraria. ibid. locus  
Rom. 15. 20. 64. Non est adversarius do-  
ctrinæ Jacobi cap. 2. loci 1. Cor. 9. 20. Gal.  
2. 11. 64. 65. Prostituitur obiter authoris  
Politica.

J. MFL.



J. MELCHIORIS V.D.M.

Epistola ad Amicum, continens

# C E N S U R A M

*Theologo-Politici.*

VIR CLARISSIME

**A**nnus fere est, quum mihi *Herberti de Religione Gentilium* Commentationem commendares examinandam. Quod eo fine tu quidem faciebas ut meditatiunculam meam de *authoritate S. Scripturae*, quam in cuiusque fidelis obtinet conscientia, exerceres & istâ quasi limâ expolires. At verò argumenti scopique mei disparitatem itatum aperui, ut quid de religione & fide gentilium credendum sit, & quām propè hæc duce Conscientiâ (revelatione externâ seposita) ad fidelium sub *promissione d[omi]ni lege* accedere potuerit, simul significârim. Unde tibi facile fore putabam judicare quid de illis quinque capitibus *Herberto* notatis (cap. 51.) esset sentiendum. Quantumautem ad hujus hominis aliorumque ejusdem generis genium attinet, rectissimè censes, eâ solum viâ impediri posse, quod minus religio Christiana suo decore orbetur, omnique stabilitate, everso principio, multetur, si non modò

A

ex

ex historiarum & experientiae testimonio, sed & conscientiae promptuario, convictionis argumenta arcessantur. Quod mihi ita verum videtur, ut putem, neminem nostrum, quotquot verè Christiani sumus, fidei suæ certitudinem aliam habere, quam quod veritas creditorum, conscientiae sese proberet. Id quanquam operante Dei spiritu tantum fieri possit ad submissiōnem & fidei obedientiam, non minus tamen ad convictionē potest demonstrationum ratiocinio. Invenies fortassis in meo illo dialogismo, unde hæc res tibi clarius patescat. Sed & eandem ferè rem nunc agam tecum, mi frater; strophas audacissimi cujusdam hominis dissolvendo, quas ad irretiendam fidei nostræ veritatem nexuit. Prorupit ille nuperimè, nescio qua ex machina, encomium fronte præferens, *Tractatus Theologo-politici*. Zinospâ parente iste partus habetur genitus, si modò monstra, quācunque similitudine, genitorem referre possunt. Non decuit tamen hæc tanta perfidia alium, quam ex Iudæo apostata Φιλόσοφος Christianum. Ipsus ille est, qui nobis olim scripto quodam, quo magnum hujus seculi authorem malâ methodo tantum non corruperat, innotuit, cum Myrtilleti philosopharemur. Et est reverâ quod nunc doleamus Theologi acerbius nefarium ausum, quo Prophetas atque Apostolos, ipsumque adeo Deum in ordinem suum redigere aggressus est, quām accusabamus quondam inutilem operam, qua Cartesium scilicet juvare satagebat. Is ergo homo Socinianus quum sit, & si quid pejus, nomine Christiano se potest jactare, ægrè ferens in libera Rep. ubi vivit, coarctatam tamen esse blasphemandi licentiam; Ingenti labore molitus est Philosophiæ, quam nominat, asylum condere, id est, ut præ se fert, demonstrare jus atque fas esse debere omni homini, de Deo ejusque cultu, non cogitare modò, sed & dicere quodcunque mens malefana suggesserit, modo fur & latro non sit, neminemque

que lædens suum cuique tribuat , secundum justitiæ regulam. Nec impunè id modò per Magistratum (quod intendit cap. 15-20.) sed & sanctè absque offensione Numinis : Cujus quippe cultus verus & unicus , in justitia & amore proximi sit positus , ad quem populo instillandum , liceat (imò necesse sit ) pro cujusque capacitate , ingenio , præjudiciis , fingere & formare infundibulum (præfat. pag. 6. in fine *porro quia &c.*) Quod posterius videtur scopus præcipuuſ ſcriptionis huic authori extitisse: *Nempe ut omnibus cujuscunque religionis & fidei capitibus pro superstitione habitis , quā tanquam fomite odiorum atque tumultuum incendia accendantur & alantur , tandem doceat Christianos , ex Socini ſenuſ sapere , Deoque ſatis putare factum , ſi modò affuſcere poſſint , in communī vita tranquillē cum aliis agere.* pag. 46. & *Ethicam universalem exercere.* Ad quod tamen quām non poſſit (quicquid in ſpeciem ja-ctet) ſuā methodo homines perducere , Deo volente, mox patebit. Mosen autem cum Prophetis , Chriſtumque cum Apostolis , nihil aliud quam iſtud intendere , dudum eſt quod , evacuato mysterio Gratiae Dei in Christo , ejusque ſapientiſſimæ & glorioliſſimæ diſpensationiſ , Socini diſcipliſ ſtuduerunt infirmis persuadere. Sed quum haćtenus , veritate tot radiiſ elucentiſe , ſæpe atque turpiter ſeſe dederint , iſulfis & coactiſſimiſ ſcripturæ contortioniſbus , hunc puduiſſe videtur , in fauſtiſ vestigiis ad eundem ſcopum contendere. Pertæſus ſciliſ laboriſ impendendi , enervandiſ ſingulatiſ teſtimoniis , pro veritate myſte-riorum pretioſae noſtræ fidei , uno iſtu (ut Nero olim fruſtra optabat ) omnia déjicere tentavit. Inde eſt quod *Historicorum , Propheticorum atque Apostolicorum* monumentorū , authoritatē atque nervū iſcidere , operam ſibi ſumſit infelicem ; *Horum capita à docto-rum privatim & prudenti Consilio , electā methodo ; Illorum vim & emphasiſ , ab imaginationiſ & præjudi-*

ctorum putido palo : *Istorum* denique fidem , ab incertorum authorum tumuluaria corrassione , suspendens . Vides , Amice , impietatis apicem , quem ubi quis conscenderit , tum demum omni superstitione , scilicet se se exsolvere potest , atheismo seu involutus seu involvendus nullo negotio . Ut autem sapientia Dei sapientiam hujus scioli assequatur & profluit , inde exordium ducendum existimo , ubi finem ipse imposuit , progrediendumque isto ordine , ut nempe dispiciatur *primum* quid statuendum sit de vero Dei cultu & religione : Num videlicet illa , justitiâ & charitate erga homines absolvatur & an homo illis quæ naturaliter de Dei Unitate , Omnipræsentia , & cæteris capitibus (authori pag . 163. enumeratis) novit , tum ad charitatem , tum ad alias religionis , si quæ esse comperiantur , partes perduci queat ; *Deinde* ad revelationis supernaturalis necessitatem assurgemus & de autoritate illorum librorum disquiremus , quiue illam continere à christianis creduntur .

*Faxit Deus , qui mysteria sua revelat timentibus se , ut ex ore infantium & lattentium sibi paretur robur ad perdendum inimicum & vindicem sui.*

Principiò certum est Deum sapientissimâ & liberrimâ voluntate , hoc universum cuius partem nos inhabitamus creasse , cuiusque amplissimum spatium , cœli nomine circumquaque contemplamur . Idque cum potuisse non fecisse , fecit sine dubio ad manifestandam suam *gloriam* quam suo quæque loco creatura narraret Psal . 19. 2. narraret autem illi , qui assequi , Deumque inde cognoscere magnificare atque celebrare posset . Inde *terram non creavit ut esset vacua* , Esaï . 45. 18. sed *hominem condidit non modo mente & ratione , sed & sensibus præditum , quibus cætera creata veluti intra se admitteret* . Menti autem , sui quandam similitudinem impressit , quâ ipsum *primum Creatorem* , deinde ab eo derivatam *veritatem atque bonitatem cognosce*

gnosceret, seque ad illius amorem totum componeret. Tacitam interim gubernationem illius, non solum quoad illa quæ corpus, sed & quæ mentem & voluntatem spectant, sibi reservans eo modo dirigendam, quemadmodum ipse judicabat ad suam facere glorificationem; ut homo haberet, quæ semper in abyso divinæ incomprehensibilitatis, infinitæque potentiae, sapientiae, bonitatis, sanctitatis &c. admiraretur, ita demum hominum genus non frustra erat futurum. Psal. 89. 48. In his non video quidnam mens sana possit inficiari. Inde ita procedo, primum hominem, quem Zinospa agnoscit (quoniam narrationem illorum quem cum ipso gesta sunt, nonnullorum fratrum suorum Iudæorum somniis, parabolane-sit an historiæ velit dubitare;) habuisse ut *veri ita boni* quoque regulas, secundum quas & Deum creatorem suum ejusque perfectiones cognoscere, amare & sancte aliis creaturis uti, sumque corpus tanquam organum ad Dei glorificationem posset gubernare. Illa-ne verò *religio* Adami & cultus Deo debitus, nec ne? Fuit hæc sancte, aut nulla fuit. At irreligiosus fuit Zinospæ, siquidem proximum non habuit cui ex justitiæ præscripto *suum* tribueret, cum nondum *meum* & *tuum* locum in orbe inventissent. Habemus ergo hominem Deo servire eumque glorificare aptum, qui de alio homine fortè nequidem cogitaverat. Propagatio verò humani generis, rationem cultus Dei mutaverit? Mirum, si homo qui de suâ mente ubique gloriatur ausit affirmare. Sed magis mirum audere in subsidium suæ opinionis vocare Scripturam, quam tamen prius ita eviravit, ut nihil præter hoc ipsum reliquerit, eo fine ut suæ hypothesi inservire cogeret. Quæ, quanta sit insania, nemo non videt, qui quicquam videt. Sed de testimoniis quibus abutitur mox videbimus. Nunc ajo, quod & sana ratio & revelatio, quam supponimus, docet religionem esse, Deum cognoscere, amare, revereri, ipsiusque virtutes

tutes & perfectiones omni animi affectu , verbo & opere in se & aliis glorificare. In quibus omnibus finis hominis , & consequenter ejus summum bonum atque felicitas est posita. Scelus autem & impietas est , in hisce aut negligentem esse , aut versari fecus , aut etiam contra quam par est. Stultum proinde , quod ait author (cap. 13. pag. 156.) neminem ex mandato posse esse sapientem , non magis quam vivere aut esse , ut inde probet non mandasse Deum attributa sua seu virtutes & gloriam cognoscere , ( quod sapientem esse ait ) & per consequens hanc non esse partem cultus Dei & fidei & religionis . Primum enim non quæritur an possit , sed an teneatur esse sapiens , id quod ipsus statim nobis sponte suâ dabit . Deinde falsum est Deum non posse præcipere homini , quod suâ potentia in homine impote , qualis nunc est , operatur. Adde hominem tamen teneri ex Zinospæ placitis ad minimum justitiam & misericordiam Dei cognoscere , quibus addere ex suopre ingenio debebat unitatem , omnipotentiam & potestatem supremam ( pag. 163. ) quæ cum videret non posse imitatione hominum exprimi , non debebat dictâsse cap. præcedenti , illa tantum attributa velle Deum & debere cognosci , quæ homines certâ vivendi ratione exprimere possint quamquam ut in homine *imago* & quasi *exemplum* perfectissimarum & sanctissimarum virtutum Dei sit & apparet ( quod religio facit ) æque necessum est hominem istas cognoscere , ac speculum radios faciei repræsentandæ recipere . Sed dabimus hominem suo indicio & iudicio damnatum . Capite enim quarto , de lege divina sub finem pag. 45. & seq. ea videbis veritatem huic homini ad suas fraudes non satis attendenti expressisse , quibus seipsum perimit : Postquam enim sermocinatus est de intellectu seu mente hominis ejusque perfectione , per cognitionem & consequentem amorem Dei , concludit pag. 46. *Huc itaque nostrum summum bonum nostraque beatitudo redit , in cognitionem scilicet & amorem*

rem Dei. Media igitur, quæ hic finis omnium humana-  
rum actionum, nempe ipse Deus, quatenus ejus idea in no-  
bis est, exigit, jussa Dei vocari possunt, quia quasi ab  
ipso Deo, quatenus in nostra mente existit, nobis præ-  
scribuntur atque adeo ratio vivendi, quæ hunc finem spe-  
stat, lex divina optimè vocatur. Et paulo post. Cum  
itaque amor Dei summa hominis felicitas sit & beatitudo  
& finis ultimus & scopus omnium humanarum actionum  
etc. Item nonnullis interjectis : hoc idea Dei dictat,  
Deum summum nostrum esse bonum, sive Dei cognitionem  
& amorem finem esse ultimum ad quem omnes actiones no-  
stræ sunt dirigendæ. de ipso discursu & an satis accurate  
hæc explicet, itemque de scopo ad quem collimat,  
jam non dico. Accipio saltem quod dicit, in Dei idea,  
sive in eo quod in ipsa mente nostra de Deo nobis ma-  
nifestum est, contineri Deum esse summum nostrum  
bonum, quod assequimur ejus cognitione & amore, &  
media seu partes cognitionis & amoris, seu mavis spe-  
cialia officia illius sese habere ut jussa Dei & legem. Un-  
de concludo : cognoscendo Deum, nos etiam Deum  
colere. Nam & cognitio est medium amoris. Certe  
non amat Deum qui ejus virtutes non vult cognoscere,  
aut cognitas non vult admirari & ut decet æstimare,  
sermone etiam atque opere extollere & celebrare(unde  
peccatoris religio ut notitia, amor, timor, confessio  
celebratio, sanctificatio hominis. Dei passim describi-  
tur in sacris. vid. Psal. 5, 12. & 9: 11. & 86. 11. &c.)  
Ita quoniam hæc jussa seu lege quâdam præscripta  
sunt, ad obedientiam religionis, utique præter chari-  
tatem proximi pertinere, vel ex ipso rationis dictami-  
ne clarum est.

Miror autem magnoperè hominem, saltem de *tempo-  
rantiæ & castitate*, neque meminisse neque cogitasse.  
Ipsum signum circumcisionis, *concisionis* inquam  
quod gestat si Zinospa est, ipsum admonere potuisset,  
hanc à religione utique removendam non esse. Sed qui

de Deo parum sobrius , deque ejus illibato cultu minus castè loquitur , non decuit aliter agere . Sed accedamus proprius , & de illa speciatim religione videamus , quā alienati à vita ex communione Dei illi religamur . Nolo memorare nos *sanctificari in Veritate* , novum hominem esse *Veritatis sanctitatem* & sanctificationem , pietatem esse *lucem* , & quæ sunt alia infinita , quæ istius hominis hypothesin dejiciunt : certè **Fides** quæ religionis veræ cardo est & apex , non est nisi *obsignatio testimonii Dei* de suis virtutibus , Gratiā , mysterio salutis , quod verbo & factis pandit , quo & potest & dignus est à peccatore ut salvator , ut bonum , ut hæreditas , ut pater quæri & amari . Fides confitetur **Deum & Nomen Ejus** , & respondet *reī reī dūm* . Fides ergo tibi quid est , homo confidentissime , si nihil ad illum & religionem pertinet quam justitia seu charitas erga homines . 2. Fides est inquit *credere Deo* se revealanti utique & stipulanti & promittenti . Unde *fiduciā* primum seu reclinacionem & projectionem sui in ipsum , ipsamque deinde spem & exspectationem bonorum futurorum ad religionem referas oportet . Quæ nam autem *credere* ? nihil ne præterea quam amandum proximum ? tædet his insistere . Si autem revelavit Deus alia etiam de sua natura & voluntate , utique *no-scenda* sunt ut credantur . Sed ait , cætera quæ in scriptura de Deo scripta sunt , *præjudicia vulgi* sunt , & Prophetarum erroneæ *opiniones* , & Apostolorum *piae fraudes* . Hoc unum verò Deus credi vult , absque violentia vivendum esse . Deus te compescat , homo temerarie ? Quis te ita docuit distinguere ? pergit itaque pag . 161 . Fidem esse *de Deo talia sentire quibus ignoratis tollitur erga Deum obedientia & hæc obedientia posita necessario ponuntur* . Cur homo fidem , de qua non nisi ex scriptura scire potuit , ex eadam definire noluerit , palam est quia scilicet ipsi propositum fuit fallere . Quod fieri non potuisset si ex Paulo voluisset sapere , docente fi-

te fidem consistere in suæ justitiæ abnegatione & in Deum justificantem impios, Christumque factum ( per obedientiam & passionem) justitiam, reclinazione & fiduciâ, per sincerum Dei atque inde proximi amorem vivide & efficaciter fructificante & sese ostendente. Audiamus tamen quiddicet. Fides est de Deo quædam sentire. Ergo falso quod intendit probare, religionem & fidem esse tantum *justitiam erga proximum*. Sed hæc inquiet, supponit & includit qualemcumque de Deo notitiam & sensum. Hæc enim posita, necessario ponuntur quæ de Deo credenda sunt. Absurdum est primò dicere, justitia sola est religio, quia cæteræ partes cum illa cohærent; deinde nec verum est justitiam erga proximum esse summum religionis complementum, ipso hoc homine, si suâ agnoscere vult hoc largiente; siquidem *justitia exercetur ex amore Dei*, sine dubio glorificandi. Dicamus ergo nos religionem & finem, esse glorificationem Dei, cui reliqua omnia subordinantur. Quod si velit dicere hoc nimis generale & absurdum esse, nec convenire inter homines quid ad Deum glorificandum credendum sit: in promptu est responsio, non esse periculum si modo ex omnibus Deum velimus glorificare & in timore ipsius attendere quid ipse in verbo suo requirat. Adde, quod prætermittendum non est, ex ipsis *Zinospæ statutis*, non posse certa esse capita quæ cum Dei obedientia reciprocantur. Nam *illa ingenii humani varietas atque opinionum diversitas*, quæ fit, ut quæ hunc ad devotionem, eæ ipse alterum ad risum & contemptum moveant, ( ut ait pag. 163.) eo usque se extendit, ut etiam inter *honestos*, id est, qui nullis facinoribus se prostituunt concivibus suis, de omnibus capitibus, etiam ead. pag. in fine, enumeratis, possint dari controversiæ. Poteſt enim tranquillè absque violentia & injuriâ cum proximo vivi ab ipsis etiam atheis, Deum & quicquid Dei est, negantibus. Qui tamen cap. 13. in fine pag. 158. ut pote satis fideles & religiosi *Zinospæ*,

*noste*, exagitati non debent. Qui secus faxit *antichristus* esto pag. 362. Sed illis quis auctoravit hunc hominem, catenam septem capitalibus annulis sibi invicem non satis innexis constantem, isto modo cundendam (ut facit pag. 163.) qua singit omnes homines ad obedientiam trahi posse. Cum tamen experientia teste, multi haec capita admittentes non ament proximum, aliquique contra, quos haec non credere afferit (ut orthodoxi unitatem Dei &c.) reperiantur esse multò justiores. Benè interim habet, quod in verbis ejus obiter noto, *admiracionem excellentiae Dei* multum facere ad amorem & obedientiam erga ipsum. Proinde quo major Dei & iustius in primis *excellentiae*, quam in operiosissimae *Gratiae* mysterio probavit, est in fidele cognitio, eò amor intensior & submissio proclivior. Sed quis non indigetur hunc irrisorem, altera manu mox destruere, quæ modò extruxerat altera, æquè infeliciter utrumque. pag. enim seq. per ipsum fas est hominibus, dubitare *quid Deus sit*; Corpus an cogitatio? quâ ratione hominibus vitæ exemplar sit, an quatenus justus & misericors, an verò quatenus omnia per ipsum sunt & agunt, nos etiam intelligimus verum, æquum & bonum? item an omnipræsens essentia an verò potentia? præscribat ne leges tanquam princeps, vel doceat tanquam veritates æternas? jam vide quomodo haec superioribus constent. De Deo multa credenda sunt; & tamen dubitare *quid Deus sit*? justus & misericors omnipræsens, dominus & rector omnium, isque liberimus; & tamen ambigere sit ne corpus an mens, sive res cogitans? item omnes ne res per ipsum sint & agant? sitque potentia ejus ubique, cuius essentia corporeæ certis limitibus necessariò inclusa est? Nihil de Deo credendum, quam *quod certa vivendi ratione imitandum est*, cap. præced. & nescire tamen, quid & quâ ratione imitari Deo debeas? Deum *justum & misericordem esse*, nihilominus disputare Deus ne se ut princeps

princeps habeat legesque præscribat? Facere *omnia ex absoluto beneplacito*; tamen posse æternas veritates esse, quod agit & agi vult. Qui Deo obediunt, diligendo alios homines, *tantum salvos esse*; & tamen præmium supernaturale, id est, post hanc vitam naturalem, posse non exspectari ab illo, qui quanquam innocenter & justè, tamen in miseriâ & calamitate vitam translegit, aut contra. Deum *penitentibus peccata condonare*, & tamen æternas veritates esse quas Deus homini dedit leges, atque peccatori irrogat pœnas. Quæ etiam sciamus Christiani quomodo consistant, secundum tamen hujus authoris principia contradictoria sunt. Jam quantum ad illa quæ ex Apostolis *Joh. d. 7. a. 14.* afferit, argumenta tantum debebant esse homini impio, non testimonia divina. De quo videbitur postea. Sed quicquid agat non probat Jacobus primam Zinospæ assertionem, nempe *fidem ratione obedientiæ esse tantum salutiferam*, eò quod mortua sit & competitatur, si ille qui illam se habere jactat *careat operibus sanctitatis*. Planè ut animal absque ridendi facultate homo non est, nec tamen ratione hujus facultatis, sed potius mentis corpori unitæ homo est: Nec uteque probat alteram thesin, eò quidem sensu quo optaret illorum distortor. Quanquam enim certissimum sit, quod credens in Deum justificantem in Christo, non possit non amare gloriam Dei, utque ea in proximo quoque manifestetur, allaborare, & ita cor suum Deo quasi plenum habere, qui *charitas* est; attamen non inde concluditur fidem veram & plenam in illo esse, qui qualicunque modò illam externam justitiam atque *honestatem* servat ( pag. 162. lin 14.) quam hic homo *obedientiam* Dei vocat; licet, præterquam in filiis Dei regenitis, semper ex amore sui ipsius suarumque *cupidatum, oculorum* scilicet, & *carnis* atque *ambitiosæ* visæ proficiscatur. *I. Joh. 2. 16.*

Super est, ut rationes illius ex scripturâ petitas examine-

aminemus, quibus probare conatur Deum nolle nos de sè quicquam intelligere, scire, credere, quam quod possimus conversatione cum proximo exprimere & imitatione referre: nempe justitiam & charitatem. Totamque proinde religionem fidam esse in dilectione proximi, seu innocentium cum ipso conversatione. Diximus jam supra, hæc evertere id quod modò refutavimus, ex pag. 163. Nunc prius quam ipsum sequamur, notandum *justitiam & misericordiam* in Deo, secundum sensum hujus scriptoris, nihil aliud esse quam *charitatem & æquitatem erga homines quâ nemini innocentio molestus sit* ( quam non potest hæc Socini soboles, vel in morte infantum, qui nondum in similitudine transgressionis Adami peccarunt, vel in passione Christi innoxii agnoscere ) quæ nobis imitanda sit respectu concivium. *Justitiam* enim Dei quâ rejicit peccatores à sui communione, itemque illam quâ justificat peccatores in Filio suo sponsore & redemptore, non agnoscit.

Ait ergò primò, demonstratum sibi superius *scripturæ intentum non esse docere scientias*, indeque judicari posse *nihil præter obedientiam ab hominibus exigere*, *solumque contumaciam non autem ignorantiam damnare*. Nego posterius lequi ex priori. Nam quid refert, quo minus Deus divitias gloriose suæ gratiæ cognoscendas, amandas, deprædicandas proposuerit in verbo suo, etiamsi non curaverit explicari quomodo sese habent operationes rerum naturalium, aut etiam reliquerit homini jam per revelationem excitato, ea quæ ex ratione, ejusque tum principiis tum observatis cognosci possunt, tam ad Deum melius cognoscendum & glorificandum, quam ad proximo commodius servendum, tandemque ad seipsum accuratius regendum. Quomodo subordinatur & servit revelationi, ratio & Philosophia. Et religio hominem ad stringit, in his eò usque proficere quantum vocatio particularis aliaque opportunitates, mensura etiam donorum Dei exigunt atque

atque permittunt. Pergit & ex Rom. 13. vers. 8. intendit probare, obedientiam Deo debitam, confistere tantum charitate quæ debetur proximo. Quod quam absurdum, & contra Apostoli mentem ab ipso fiat, patet legenti versum nonum & decimum ejusdem capituli; in quibus cum recensuisset præcepta, quæ officia erga proximum præstanta præscribunt, concludit tandem *charitatem*, quoniam nihil illorum faciat proximo quæ verita & mala sunt, *esse legis* illius proximum concernentis *implementum*, cæteroquin sine dubio etiam totius, siquidem proximus rectè amari non potest, nisi Deo prius amato, cuius gloriam desideramus etiam in aliis hominibus æquè, ac in nobis manifestandam. Cætera autem legis, ut ex gr. quomodo Deus ut *Deus noster* in filio suo agnoscendus, credendus, amandus, nominandus, & sincere colendus sit, jam docuerat & asseruerat totis illis undecim capitibus, unde porrò illa quæ ad nos gubernandos in sobrietate & castitate, & ad serviendum proximo pertinent, educit cap. 12. vers. 1. & seqq. & hisce omnia quæ ad religionem Christianam pertinent ita absolvit, ut Zinospa dum allegando fatetur, se hanc epistolam legisse, eopse se prodat esse ex illorum numero, qui oculos claudunt ne sanctam & Deo gloriosam veritatem videant, aut dum non possunt non videre, consilia carnis adhibent, subter-fugia & rimas elabendi quærentes, verbunque Dei distorquentes, sui aliorumque seductores, qui siquid se invenisse putant, propagant aliis, partim quoniam Deo & veritati ejus irati, hac ratione aliquid detrimenti student afferre, partim quoniam dolent aliorum sincera confessione & exemplo sanctitatis, sua tenebrarum opera coargui; vellentes propterea aliorum in transversum actorum exemplum, in suæ perversitatis fulcimentum & malæ conscientiæ qualecunque solamen trahere. Sed sequamur porrò vestigia tetrica. *Intellectualem* sive *accuratam* Dei cogni-

cognitionem, non esse donum omnibus fidelibus commune; sicuti obedientiam, vult probare ex Dei testimonio Exod. 6. Psal. 2. sed frustra; neque enim ex isto loco recte infertur Abraham cæterisque Patribus, nomen יְהוָה ne nominatum quidem fuisse, multoque minus concludi potest, eos nullum Dei attributum novisse, quod ejus absolutam essentiam explicet. Deus isto loco declarat quare jussit cap. 6. vers: 15. 16. se indigitari Israëlitis non solo Deo **Abraham** nomine, sed simul אהיה אשר אהיה ero qui futurus sum, nempe ex fædere cum Patribus inito, id Israëlitæ reipsa & inchoatâ impletione, illorum quæ Deus erat pollicitus, erant experturi. Recordatus (iuquit vers. 5.) sum fæderis mei, demonstrabo jam nunc me memorem esse promissi, cuius in hac continuâ Israëlitarum miseria visus sum oblitus esse. Propterea dic filiis Israël me esse יְהוָה & eductum vos ex incumbentibus oneribus Ægypti & erexiturum vos ex servitute illorum & asserturum vos Brachio elato & judicis magnis & assumptionum vos mihi populum & futurum me vobis לְאֱלֹהִים & cognoscetis quod ego sum יְהוָה Deus vester, ille qui eduxit vos. &c. Non fui (inquit vers. 2.) illo modo cognitus, nomine meo יְהוָה, quum fædus cum ipsis pangerem, me futurum ipsis ipsorumque semini in Deum (id est, me & quicquid in me est, ipsis quasi communem fore quatenus ad suam beatitudinem id possunt optare) & consiliuin dispensationis hujus meæ gratiæ his duobus testamentis ipsis expонerem, me nempe primum terram Canaan semini ipsorum certo tempore daturum in hereditatem, ubi certum aliquod semen seu persona ex posteris sit oritura, in qua & per quam tunc omnes familiae terræ benedicuntur, ejusque fiat hereditas. Hæc ut crederent, me ipsis revelavi Deum potentem sufficientem, meam potentiam, misericordiam, longanimitatem & cæteras virtutes & perfectiones ita abundantes, imò infinitas, esse, ut confidere possent me parem esse exsolvendis pro-

promissis. Falsa jam sunt quæ addit Zinospa infelix Heberi propago , de emphasi vocis יהוָה itemque de cuius נ ultimum vel ex eo quod mobile est , apparet non esse paragogicum , sed radicale , punctumque brevissimum sub נ non posse esse ex longo tzeri in quod ex regulis Grammaticorum compensabat elisionem ג , radicalis (est enim ab יא .) Habet autem notationem vel adjurationis ex Hebræo , vel potius venerationis ex Arabico. Inutilis etiam conciliatio ( pag. 156.) hujus loci cum illis Geneseos , ubi יהוָה exprimitur & vel eo nomine absurdum , quod etiamsi scriptor (quem Mosen credimus ) narrans res à Deo & circa Deum gestas , ipsum nominaret ita ut maximè erat suo tempore notus , attamen orationem ipsam Dei & fæderis stipulationem exprimens , non potuerit sine temeritate Deo titulos adscribere , quam quos ipse tunc erat præfatus. Inde illa diversitas , quod Gen. 12. Deus quasi jam notus nil præfatur cap. 15. itidem incipit à promissione , sed vers. 7. seipsum nomine אֶלְאֵת Abraham notificat , seque illum esse demonstratum , dando terram Canaan in hæreditatem , quod Abraham ut credere posset signum petit vers. 8. & seqq. Cap. verò 17. vers. 1. est formula שׁאֵל .

Non addam , non vereri hunc hominem ex Patriarchis stipites facere , qui *eternam Dei potentiam & divinitatem* nequidem cognoverint , nec ut alii homines idem habuerint *Entis omni modo perfecti* quocunque nomine illud vocarint. Item , quam inconsiderata sit illatio illa : Abraham nescivit cum nondum illi esset revelatum , ergo posteri ejus non tenentur scire postquam Deus illos scire voluit. Agnoscendum enim profectò pro æconomiæ , revelationis . & spiritus diversitate , της μίσεως μίτρα secundum quod plura sciri & intelligi non minus possunt quam debent. Erat enim tempus quo quædam dicenda & facienda restabant , que

quæ

quum dicta & facta sunt demum cognoscere & facile & necessum est, vid, Rom. 12. 3. & 6. Hebr. 5, 12. & cap. 3, 5. Dan. 12, 4. Posset pænitere temporis his refutandis insumpti, nisi res ipsa suâ pulchritudine considerationem mereretur.

Restat quod sibi porro demonstrandum ex scriptura sumfit, nim. *Cognitionem illam quam Deus per prophetas ab omnibus universaliter petiit & unusquisque scire tenetur, nullam esse præter cognitionem divinæ ejus justitiae & charitatis.* Ait Jerem 22. vers. 15, 16. declarare Deum, *fosiam sui cognitionem habuisse, eò quod sciverit justum & misericordem Deum, si bique illum imitandum:* Id quod falsum est. Neque enim dicitur quænam attributa Dei Josias noverit, sed quod faciendo justitiam & judicium & judicando jus pauperis & egeni, palam fecerit se non tantum nosse, sed & ita agnoscere Deum ut illum præ oculis habeat & timeat. Et quanquam facere justitiam & judicium (quibus etiam hic additur judicare jus pauperis & egeni) ex stylo scripturæ non semper significant officia proximum spectantia (vid. Ef. 56. 1. 2.) saltē *judicium regis inter subditos ex hujus hominis mente non potest cuiusc privatō partem religio- nis facere;* nihil tamen refert hic ita sumi. Pius enim in speciali sua vocatione, ut ex. gr. rex justè regnum administrando in primis ostendit se cognoscere Deum ita, sc. ex Stylo Scripturæ familiarissimo, ut amet & reveratur. Quantum autem Jerem. 9. vers. 24. attinet, fatendum est, felicitatem & proinde gloriationem peccatoris illam solummodo esse, ut agnoscat, credat, amet *Debaram*, non solum æternum, suâquæ sufficientiâ & perfectione existentem, immutabilem (ut agnoscit author pag. 155,) &c. sed & seu factum, seu futurum reverâ, quod se esse & fore in fædere promisit, verbisque & factis illustribus omnes divitias suas adsalvationem peccatoris exponentem (quâ ratione *הַמְּלֵךְ אֶת־אָנָּנוּ* fit hominini peccatori qui est qualis est) nempe

pe facientem gratiam assumendo hominem iræ obnoxium propter peccatum, ad suam communionem, idque judicando & condemnando peccatum, in similitudine carnis peccati, in Christo; itemque principem mundi & tenebrarum cum omni suo jure, apparatu & asseclis, ut suis donaret *justitiam* Filii sui sponsoris, qui factus pro nobis peccatum, factus est justitia omni credenti. Has divitias gloriosæ gratiæ Dei, quas in hoc mysterio exposuit, pro varia temporum œconomia & mensura revelationis, spiritus & fidei, fideles debent cognoscere. Idem est illud *nomen* Dei Exod. 34. vers. 6. 7. quo à peccatore vult nominari, quod non aliud est quam *gloria* ejus, capite præced. quam sibi comparat gloriissimis in mundo facinoribus: Quod, si author crederet Deoque illam gloriam quā vel solā vult magnus haberi & super omnes falsos Deos eminere, daret, non enervasset religionem, fidem, & scripturam sacram, quarum omnium cardo, in hoc capite versatur. De testimoniosis Johannis vidimus illo loco quo nos ablegat.

Concludit tandem, *nullibi dari definitionem* Dei. Ergo cognoscendum non esse præter justitiam ejus & misericordiam. Quasi verò abyssus infinitæ perfectionis Dei, arctâ capacitate hominis comprehendendi, Deusque se aliter, quām in suo intellec̄tu definire posset? definivit autem satis quæ nobis de ipso cognoscenda sunt. Ex rebus creatis quidem æternam ejus potentiam, divinitatem, aliaque ad ejus glorificationem. Rom. 1. 20. Ex conscientia nostra ejus sanctitatem, recta postulata, & iustum judicium seu δικαιωμα & δικαιοπιστα vid. Rom. 1. ult. & cap. 2. Yſ. 14. 15. Ex iis quæ circa nos & alios homines fiunt, patientiam, longam initatem & bonitatem. Rom. 2. 4. Act. 14. 17. Ex revelatione autem supernaturali, omnia quæ ibi de se testatur, quæ sine dubio, nullo excepto, quantum quidem gratiæ ipsi dare placet, scienda, credenda, & amplectenda commendat. Contra quam noster fingit, qui ut ne credantur de Deo omnia

quæ in verbo suo consignari voluit, ait multa non ex rei  
veritate, sed *ex præconceptis Prophetarum opinionibus &*  
*diversis fideliū de Deo sententiis*, alia vero admodum  
*impropriè secundum captum vulgi* esse conscripta, quæ  
tamen impropriè ut erant dicta, intellecta aut intelligenda negat, *ex eo quod non doctis & Philosophis*, sed  
*plebi* sint præscripta. Sed prius quatenus falsum sit,  
commodior ostendendi locus exspectandus est: Poste-  
rius quod attinet, miror hominem difficilem! qui cum  
sibi ipse sapere supra omnes videatur, reliquos homines  
infacillimis bardos & truncos censet, qui maximè com-  
munes loquendi modos non capiant. Anne enim voca-  
bulum tropicè usurpatum in pleno orationis sensu, ab  
illo qui linguæ gnarus est intelligi non potest, nisi sit  
Philosophus? nonne pueri didicimus in Rethoricis me-  
taphoras adhiberi, ut res vividius & efficacius propona-  
tur, citiusque & profundius animum auditoris pene-  
tret? Stultus sit, qui cum *prata ridere* audiverit, de cer-  
ta oris humani figura cogitet, & non potius de grato &  
amabili aspectu, verbum intelligat. Si quis dixerit *lon-  
gas regibus esse manus*, ne rusticus quidem sit, qui sibi  
imaginetur aliquot milliaribus prolongata brachia; sed  
de potentia statim unusquisque cogitabit, quam sibi  
conscius est, in illis se præcipue membris habere. Eo-  
dem modo se res habet, ubi *Deo manus, oculi, aures &c.*  
attribuuntur, quod quidem non sit, ut notandum est, in  
explicatione essentiae & attributorum Dei, sed in plena  
oratione, ubi virtutes ejus jam ante notæ introducun-  
tur, & de illis aliquid prædicatur. Ex. gr. non dicitur  
ullibi, *Deus habet brachia, manus, oculos, aures &c.*  
Sed *Deus brachio excelso eduxit Israëlitas*: *Oculi Dei*  
*percurrunt universam terram*: *Deus inclinat aures ad vo-  
cem timentium se*: aut similia. In quibus supposito,  
quantum quidem scire opus est, hæc aliaque attributa  
partim notissimo rationis dictamine, partim scriptura,  
aliis testimoniis nota esse, id quod de illis affirmandum  
aut

aut negandum, similitudine corporearum rerum nobis, qui corpore sumus circumvallati, exprimitur ut citius capiamus, vehementius moveamur, firmiusque retineamus.

Ita habes, amice, ut spero, dejectum absurditatum culmen & fastigium, nempe religionem esse *tranquillam cum proximo cohabitationem*. Descendamus nunc paulisper, ut luxemus alia quibus hæc instruxerat: demonstrandum nempe est, illis septem *Zinospæ* recensitis capitibus ex ratione cognitis & si quæ alia sūt quæ sciri possunt non minus quam debent, perduci hominem non posse ad proximum ex animo sincero & ut decet, constanter amandum, neque ad seipsum in castitate & temperantia continentum, multò minus ad Deum ita amandum & colendum, ut verè pius haberi & felicitatem sperare possit. Id quod nobis paucis demonstrabitur. Hic autem primum rufus dubium reperio nostrum hominem. Vix enim video numquid præter illa, quæ naturali ratione nota sunt, ad religionem & salutem requirat, imprimis quando non tantum quæ de verbo Dei cap. 12. scribuntur lego, sed & quæ cap. 4. pag. 53. ex Proverb. 2. vñf. 3. perperam concludit; quod nempe sola sapientia seu intellectus, nos doceat Deum sapienter timere, hoc est, verâ religione colere. Contra verò cap. 15. pag. 171, & 174. ait se absolute statuere hoc Theologiae (seu religionis) fundamentale dogma (homines scilicet sola obedientiâ salvari) non posse lumine naturali investigari & ideo revelationem maximè necessariam esse. Quibus verbis si de illa salute loquitur, quæ verè salus est, & in constanti æternaque cognitione Dei, amore, communione, indeque resultante animi tranquillitate & gaudio &c. consistit. (nam quod intelligat propriè, istic non definit: Non puto autem bona corporis eum intelligere; Ea enim scriptura obedienti etiam non tribuit, ut salutem promissam; & de statu post hanc vitam felici, altum nostro ubique silentium) contradicit iterum

terum sibimet ipsi disputanti cap. 4. pag. 152. 153. 154.  
*illi necessario bene esse, qui ex rationis & virtutis praescrpto agit &c.* nec credo, alias generis obedientiam, virtutem, religionem salutiferam, in sapientibus ductu rationis utentibus, quam in vulgo, scripturæ adhærente statuet. Siquidem & ratio, ipso fatente pag. 47. & scriptura revera salutem non novit, nisi ex amore Dei ut summi boni (*non ex metu alicujus supplicii & pœnae, nec præ amore alterius rei quā delectari cupimus*: Tales enim scriptura ΔΦΥΧΣΣ duplicitis, impuri, non recti non integri cordis solet vocare. Jacob. 4. 8. &c.) profluentem, imò in eo consistentem. I. Tim. I. 5. Rom. 8. 28. Sed præterea signum est studiò inconstantis & fallere volentis, dicere *revelationem maxime necessariam*, & tamē *eam cognosci non posse nisi morali id est infirmâ & dubiâ certitudine*? imò nullâ, si quis velit insistere hujus hominis principiis. Siquidem & *miracula seu signa enavraverat* cap. 6. quæ etiam sola non probant, & quantum ad *doctrinam*, potuerunt Prophetæ prudenter & absque culpâ fundamentum illius religionis & obedientiæ, nimirum salutem consequendam, ponere, ut tanto melius populum ad obedientiam disponerent, quemadmodum Apostolos diversâ methodo & contrariis fundamentis eo fine usos esse garrit pag. 143. vide hominem sese toties turpissimè idedentem. Sed linquamus illum tantisper sibi ipsi torquendum. Certum est inter Christianos, hominem, ut naturâ nunc est, non posse absque revelatione & Spiritu Dei, carnis rationiis, aſſequi quā ratione Deum rectè glorificare & colere queat: nec posse ſe ipsum aut alterum ad veram religionem, ad amorem Dei aut proximi disponere. Et in scriptura quidem iſtud ita manifestum eſt, ut qui ex illa ſe coatgi patitur, nequaquam de iſthoc queat dubitare. Homo natura caro eſt absque Dei Spiritu Jud. 19. Joh. 3. Rom. 8. corrupiens etiam ſe in iſtis quæ naturæ ductu ceu animalia rationis expertia novit Jud.

Yſ. 10.

10. indeque obfuscatus intellectum, ignorantiae, errorum & tenebrarum nebulis, negligens imo odio-habens Deum. Eph. 4. seipsum in suis cupidiratibus quærens, ea cogitans, dicens, faciens, quibus non Deum, sed seipsum quoquo modo extollat & magnificat, aut corporis suo satieras & delectatio, cum Dei etiam contumelia & proximi detrimento, tribuatur & procuretur. Usque adeò ut sapientissimi etiam quique stulti sint. 1. Cor. 1. & seqq. idque vel maxime quando de Deo colendo & felicitare obtinenda sunt ratiocinati, etiam si in virtute vel animi tranquillitate, imò *ex idea Dei nobis insita*, in Dei notitia & amore cum zino sparsum bonum, finem & felicitatem posuerint & de justè vivendi ratione multa præcepta dederint. Ut enim verà Dei notitia, ita & amore sincero distituti semper fuere ipsi metu, nec quenquam isthuc perducere potuerunt illâ methodo, quâ ipsi nec quicquam promoverunt. Id vel eventus nos queat docere. Legat, si velit, primum epistolæ ad Romanos caput, & Paulo saltem ut doctori, imò historico credit, indeque discat, quorsum rationis depravata *κακόδοσεις* deducat. Quem catalogum gentilitiae impietatis non modo vulgus facit, sed ipsi illi qui in *Ἄγλα ηγούμενοι εἰντὸν φόσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμπεριάνθησαν* & minimum *τετεράφανας, ἀλαζονες* & animalia gloriae & inani virtutis & sapientiae nomine, sese jactantas super reliquos, & ita pleni *φρόντις, φόίς, καὶ τρεπτῶ*, nemisque palmam optimi latus nisi pessimus, id est, seu facto seu animo *αὐτόφονος*, qui cum sibi non dubitaret esse nequam, cui tandem, Deo-ne an proximo bonus? Nec refert; Apostolum præmonere *φανερὸς* ipsis fuisse *τὴς ἡγεμονίας*. Id enim ideo fit ut ostendantur sine excusatione esse, quippe non eosque saltem Deum glorificantes & colentes, quatenus illum cognoscere poterant. Unde necessum est, ut sequatur, debere aliam doctrinam supervenire homini animali, quâ & Deus melius cognoscendus præbeatur & voluntas ad illum sanctè amandum & glorificandum præparetur. Sed in-

sequamur pressius. Impossibile est, ut homo suæ corruptioni nativæ relictus, Deum possit amare. Nec proinde proximum. Posteriorius, ipso nostro homine fatente; quippe quum amorem proximi ex amore erga Deum bene educat; tota res attentione tantum opus habet ut intelligatur. *Amare Deum utique est, velle eum talem esse qualis est, talemque in omnibus & erga omnes demonstrari verbo & opere, ut qualis est agnosci possit.* *Sicutum autem Deum esse ne zinospam quidem negaturum credo, id est nihil illum posse velle quod non conforme sit virtutibus & perfectionibus ejus: Agere autem secundum hanc voluntatem semper & omnia. si seclusus, negaret seipsum, praestando quicquam ex quo Deum non esse, vel non esse talem, qualis reverâ est, rectè concludi posset.* Id autem fieri utique non potest. Jam pergamus. Homo est prædictus præ terrestribus omnibus mente, quâ primum percipere potest *veritatem & de ea judicare, deinde eam cognitam amare, tandemque corpus sibi adjunctum secundum verum & bonum regere.* Hæc omnia, nunc rogo, velit ne Deus nec ne si nolle dixeris, sanctitatem ejus negaveris. È enim vult probatque veritatem & bonitatem, seu veritatis amorem. Nihilque potest approbare in creaturis quod huic sit contrarium. Verbo. recideret in Deum *amor falsitatis.* vult ergo. Nec potest non velle, ejusque contrarium non odisse & damnare. Quod si ergo homo, ut naturâ quemque esse videmus, non ita veritatem cognoscit, scrutatur, quærit, imprimis quæ Deum ejusque gloriam concernit; quod si oblatam non amat, quod si animum seu passiones & corpus non ita in pietate, justitia, temperantia gubernat quemadmodum imago & sanctitas Dei, ipsaque adeò mentis ad hæc datæ natura requirit, placere utique Deo non potest, sed fordet illi & damnabilis est. Nec salvus iste, utpote extra summi boni consortium & communionem projectus, sed miser solummodo esse potest. Amare ergo

De-

Deum nequit, nisi hanc illi Gloriam tribuat quod *sanguis* sit & non possit non, peccatores sui dissimiles, extra felicitatis limites ad miseriam projicere. Quod quidem si *peccator* amare posset, sibi ipsi malum sub specie mali veller.

Quum tamen hic talis, seu *opus legis*, id est, id quod Deus in conscientia *quasi lege quādam* (ut nostrum supra audivimus loquentem) ad sui imaginem & communio nem requirit, in corde suo scriptum legit, seu *de operibus quae qui facit in eis vivit*, ex revelatione audit, fit quidem ut non semper sceleratissimā impietate; contra Deum & in contemptum ejus & quasi ad se contra eum vindicandum, jugumque ejus planè rumpendum erumpat; sed aliquando tegat animum, Deoque *mentiatur* & externarum actionum exasciatione quādam & membrorum conformatio ne, atque exercitio etiam nonnunquam superstitionarum rerum, Deum placare eique placere studeat, isto autem modo iustitiam propriam, cum veræ sanctitatis & nominis Dei abnegatione, ejusque gloriæ detrimento atque blasphemia, erigere. Quod an sit Deum amare, an verd concupiscentiis pravi cordis sui inhærere & ad pœnæ effugium, præmiique quod carni dulce præsumitur desiderium ita ferri, ut tamen non fiat cum vera Dei glorificatione, pii cuiuscunque esto judicium. Quomodo autem Deus absque sanctitatis suæ præjudicio & cum virtutum suarum gloriofissima manifestatio ne, peccatorem certo modo ac viâ ad suam communionem recipere queat & reverâ velit, id ratio, corrupta imprimis, ex suis principiis educere non potest. Jam an disponere seipsum homo aut alium possit ad Deum & proximum amandos, ex dictis clarum est. Nam neque illis, quæ ex mente sua & rebus creatis cognoscere de Deo potest, delectatur per-quirendis & considerandis. Quippe quæ cor malevolum pungunt & conscientiam sui ipsius accusatricem & carnificem exagitant. Ita deest *νόσοις* & *σύνεσις* toties ab Apostolo

Rom. 1. 20. Heb. 11. 3. & reliquā scripturā requisita. Quod si autem vel maximè perpendantur , non possunt tame n̄ sive illa septem fundamenta, sive alia plura sufficere , amori sancto in corde impuro exfuscidando. In corde impuro , inquam , quippe , cuius fortis omni homini à nativitate ineſt. Non enim glorificatione Dei per eū cognitionem , amorem & omnium rerum sanctum usum delectatur , sed exsatiatione potius suarum corruptarum cupiditatum per res vanas & transeuntes , cum creatoris licet contumelia. Id negare non potest qui seipsum vult agnoscere & proprio cum pudore Deo tribuere gloriam : In quo existentia , iustitia , omniscientia , præsentia , & dominium Dei , nil nisi horrorem & trepidationem potest excitare. At humiliare se & cum dolo e preterita facta damnare , ad Deum ut arcem & rupem salutis , ut salvatorem , iustificatorem , sanctificatorem est confugere , eumque ut per divitias suas glorioſe suavem factum , atque adeo ut bonum , ut hæreditatem suam amare , in pretio habere , & in eo deliciari , præsupponit tam in Deo voluntatem quā peccatorem secundum suam omnisufficientiam , cum gloriæ suæ demonstratione , per mediatorem & vadem ad se velit recipere (quæ voluntas , ut non ita naturalis Deo est , ut ex ipsius essentia fluat & in ipso non possit non esse : ita in idea ipsius meriti obvia non continetur , nec ex rebus creatis propriè cognoscitur: ) quam illius revelationem peccatori factam , eamque agnitam & receptam . Hæc est illa misericordia toties in scripturis memorata sed nostro authori non benè intellecta , quam conscientia peccatoris , neque ex naturæ dictamine credere potest , neque etiamsi talis reveletur , qualem zinospa concipit , admittere ; quippe sanctitatem & iustitiam Dei evertentem , & cum ea irreconciliabilem. Quare tantum abest ut hæc septem capita pro fundimentis solidis veræ religionis queant haberi , ut potius arenae instar alia non inter se cohæreant , alia vero ut stipula

pula nihil firmæ veritatis habeant. Id supra aliquatenus patuit. Falsitatem enim *quinti* articuli abunde demonstravimus. *Justitia* vero & *misericordia* de quibus simul in I. & singulatim in III. & V II. ut modo dixi, consistere secum invicem non possunt. Nam si *justitia* ea sanctitatis Dei regula est, ut nemo nisi plenam imaginem Dei gerens, in agnitione & amore veritatis Deo gloriosæ, atque conformatio[n]e omnium actionum secundum illam, Dei communione frui debeat, nec quenquam ab illa alienatum admitti, nisi Deus primò sanctificetur per impletionem postulati legis suæ, non potest *misericordia* alia esse quam voluntas glorificandi se in erectionem misericorum, per medium, imò, mediatorem convenientem. Cujus revelatio nisi peccatori fiat, blasphemus sit si pænitentia spe consequendæ misericordiae cum abnegatione justitiae & sanctitatis ejus. Neque pænitentia hæc forret, quæ non Dei gloriam, sed pœnæ ablationem duntaxat quærerit cum nova peccati aggravatione.

Concludamus ergo religionem quæ Deum & proximum rectè amare docet, non inniti vel his septem fundamentis vel aliis quibuscumque principiis naturâ notis. Quicquid proinde peccator Deo vel proximo præstat quod similitudinem amoris aut obedientiæ mentiatur, fucus est & amor tantum suarum cupiditatum, studiumque declinandi quæ sibi vel indecora, vel incommoda, vel ingrata, & acerba essent futura. Ita ut latronum etiam colluvies ad incolumentem tutandam sese arctius conjungere, conspirare, & sacrilegia ex æquo partire queant, præbentes eo modo amoris & justitiae speciem.

Ex quibus sponte jam profuit revelationis divinæ supernaturalis *necessitas*, simulque ejus si quæ sit infallibilis *nota* & character indubitatus. Miseri essemus in æternum omnes, nisi in hisce tenebris supernè lux affulserit. Nobis enim, si nobis relinquamur, nil nisi desperatio restat. Et quam salutis spem aut copiam super-

fuisse videmus illis, qui omni revelatione fuere destituti ? atque inde est quod omni ævo homines motu quodam naturali, quasi consciæ suæ penuriæ ad revelationes configuerint, & in illis plus præsidii quam in proprio sensu & ingenio quæsiverint. Sed eventu ferè semper tali ut à deceptoribus ad superstitionem potius quam ad religionem fuerint adacti, nimis inconsideratè & temerè recipientes sine accurato examine, quod nomine Dei jactabatur.

At Deus cum possit reverà ita voluntatem suam manifestare & manifestatam monumentis conservare, ut homo benè attendens & maturo judicio in *timore Dei* promptoque ad faciendam ejus voluntatem animo omnia perpendens, in illa dignoscenda falli non possit ; Planè ut Philosophi ex Dei sanctitate (quā non potest author esse mendacii) probant id omne verum esse quod mens post claram & distinctam perceptionem judicat : Ita si reverà omnibus maiestatis suæ signis, quæ homo optare queat ad majorem certitudinem, interpositis, ut non tantum in Ægypto, deserto, & Sinai per Mosen factum, sed etiam in & cum aliis Prophetis, iisque diverso tempore absque omni conspirationis suspicione, illustri verborum atque emblematum diversitate, idem accurratissimâ conformitate dicentibus, & ante milenarios & supra annos plurima maxima opera prænuntiantibus, (quod profecto neminis præterquam Numinis mundum gubernantis esse potest ; ) sermonem aliquem qui suam voluntatem contineat audiri & conscribi, scriptumque non modò publicè servari, sed & privatim teri & præcipua saltē capita radicemque cæterorum communi sermone usurpari & posteris instillari curaverit, mendacem Deum coarguat si quis credere detrectet & contra *obsignet Deum veracem* esse si quis fide recipiat. Joh. 3. 33. Sed quid si conscientia hominis præterea agnoscere possit & debeat, res isto modo reuelatas & imprimis de fædere Gratiae ejusque medio & funda-

fundamento, modoque variæ & admirabilis dispensationis Deo maximè gloriosas esse, eique sanctitatem sapientiam, potentiam omnesque divitias tribuere, ea- que omnia convenientissimè illis rebus, quas homo tum in se experitur, tum extrase in operibus Dei cohspicit, non potest negari quin veritas sit quod proponitur, cu- jus mensura & canon Deus ejusque sanctitas & gloria est. Jam in nostra scriptura sive in libris quos Christia- ni revelationem Dei credunt, hæc ita contineri, mani- festum est lectori attento & ad faciendum voluntatem Dei prompte se submittenti, & conscientiam suam à carnis inquisitione & vanis cupiditatibus, præjudica- tioque sensu abstrahenti. Joh. 7. 17. 2. Cor. 4. 2. 3. 4. 1. Cor. 2. 13. 14. Nec tam metuendum est ut homo hæc non assequatur intelligendo, quam ut credendo & obediendo illis non subjiciatur. Quippe qui malit suis concupiscentiis implexus hærere, quam Deo gloriam cum sui ipsius abnegatione reddere. Quorum numero annoster eximi posse, judicet ille qui videt omnes an- gulos hujus sanctuarii ab ipso perquisitos, si quid forte inveniret quo decus ejus obscuraretur. Frustra saltem sim, si huic scripturam enarrare allaborem, qui sat mul- tum illam, ut non sat bene perlustravit. Sed utinam aliquando ita legat ut omnia mysteria profunde trut- nans discat cum Apostolo convictus & humillimæ ad- mirationis plenus exclamare : *ô profundas divitias, cum sapientiae, tum cognitionis Dei ! quam imperscrutabilia judicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus!* Rom. 11,33. Verum enim verò quoniam noster incendiarius ideo facem ad hoc altare incendit, ut adyto flamas immit- teret, agedum sequamur aliquantum ignem fatuum ali- quot capitibus ut I. II. VIII. IX. X. XI. fumantem. Ita enim temeritatem illius retusam tandem & confusam su- mus datnri. Arguit ille *Propheticos* tam quoad rem, quam quoad ordinem ; arguit *Historicos* ; arguit *Apo- stolicos* libros. Nullaque ullius ex illis fides & certa au- thori-

thoritas. De Prophetia & Prophetis magnus illi primum labor & sermo multus, ut omnia ad incertitudinem redigat. Non audet prætendere quod gerit in recessu. Sed animadvertis tamen facile potest quem habeat præfixum scopum. Pag. 2. *notandum*, ait, *quod fudæi nunquam causarum mediarum mentionem aut curam habeant, sed devotionis causa semper ad Deum recurrunt ut ita Deum dixisse idem sit, quod ego hoc cogito.* sic pag. 3. *Prophetiam nunquam voce factam quam Mosi (quod pag. 4. & 5. iterum anxiè examinat quomodo in Sinai factum sit.* Et tandem ad *mysterium delabitur, de quo ait se inferius fusius dicturum, nempe, auguror cap. 2. in Prophetarum præjudiciis.)* pag. 13. Prophetæ ideo spiritum Dei habere, illoque repleri dicebantur, quod virtutem singularem & supra communem habebant, quodque pietatem eximia constantia colebant item. *Quod Dei sententiam percipiebant idque (pag. 4.) non nisi ope imaginationis, nempe naturæ aliquibus legibus, quas tamen ignoret.* Item naturæ potentia nihil aliud est quam Dei potentia, indeque nos eatenus Dei potentiam non intelligere quatenus causas naturales ignoramus. Adeoque stulte ad eandem Dei potentiam recurritur, quando rei alicujus causam naturalem, id est ipsam Dei potentiam ignoramus. Verbo: Deus non habet potentiam agendi nisi ordine & legibus naturæ perpetuis & constantibus. cap. 2. pag. 17. *Certitudo Prophetie moralis tantum erat.* Nempe quæ innitebatur *vividæ imaginationi, signo & conscientiâ animi ad bonum & aequum inclinati.* Pag. 18. & seqq. ostendit multis exemplis, signa Prophetarum, ut ipsa verba & figuræ fuisse omnia Prophetis revelata, seu phantasie ipsorum obvenisse pro temperamento, *imaginationis dispositione, opinionibus, præjudiciis, affectibus, capacitate.* Caput 3. si percurras, itemque initium quarti, disces pag. 32, *quod nemo aliquid agat, nisi ex prædeterminato naturæ ordine, hoc est, inquit (nam hæc ei eadem sunt) Dei æternâ directione & directo.* Et absolute concedendum (pag. 44.) omnia ex legibus na-

Et

ture universalibus, determinari ad existendum certâ & determinatâ ratione. item pag. 35. Non dubium esse quin omnes nationes Prophetas habuerint. pag. 34. alias etiam nationes (æque ac Israëlitas) ex Dei directione externâ (quæ sola Israëlitarum electio fuit pag. 32. 33. consistens in temporanea felicitate & commodis pag. 34. ad quam quia auxilium Dei internum, id est, propria vigilautia, prudentia, parum contribuebant directioni Dei per causas latentes auxilio externo operanti & ita electioni Dei tribuenda est pag. 33.) imperium legesque singulares habuisse. Hæc & alia quæ aliis capitibus sequuntur, pendens, videre mihi videor Deum Epicuri profundè quiescentem, & fati Stoici catenam adamantinam ex constantibus & eodem semper ordine agentis naturæ legibus nexam, Deo jam ab æterno injectam; unde nec revelationem consilii Gratiae per Prophetas dare, nec tale consilium exequi (utpote quæ non sunt ordinariâ naturæ potentia) Deus potuerit. Prophetis autem nostris nihil relinqui, quam quod fuerint homines optantes populum suum in tranquillitate secum invicem vivere, monitaque eo fine ex bona sua intentione dederint & ex causis naturalibus sive notis sive latentibus prosperitatem vel ruinam prædixisse ut populum ad obedientiam redigerent; idque ex illis quæ phantasie ipsorum (secundum imagines quæ in illa jam sive ex temperamento, sive ex affectibus, sive ex opinionibus formatæ erant) sese offerebant. Ad quod probandum tanto molinime opus erat, ut *primum* magno labore ex concordantiis delectus locorum instituendus fuerit ubi *¶* exstat; ut *spiritus Dei*, quando dicitur *Prophetas egisse* eisque voluntatem Dei *inspirasse* (2. Pet. 1. ult. 2. Tim. 3. ult. &c.) non intelligatur *spiritum Iesu*, *spiritum Dominum sanctificatorem nostrum* per *Prophetas testimonium Iesu dedisse*. Apoc. 19. 10. 2. Cor. 3. ult. Deinde impiâ diligentia omnia aut obiter, aut humanitatis dicta, quæ attento lectori nullum queant scrupulum ingetere, colligenda, ut quicquid præter

ter officia quædam moralia & intentionem corrigendi, adjustitiam populi reperitur, id omne Prophetarum siniſtrè aut saltem aliter atque aliter formatæ phantasiæ tribuatur. In omni aurem ejus discursu frequens absurditas & contradictione est. Adeò ut Augiæ istud stabulum simile vix lubeat. Mittam ergo blasphemiam novam & absurdam quam prodit pag. 7. de persona D. nostri J. Christi cuius eminentiam super alios Prophetas in eo ponit, quod nescio quam mentem habuerit, quam Deus immediatè alloqui potuerit. mittam quæ profert de revelatione Dei ad mentem hominis, quasi illa fieri non possit, quasi verò creator efficere nō possit, ut mens quicquam cogitet, nisi mediante corpore ingestum, quam tamen vel *regis*, qui si quisquam ~~avtēξεσο~~ esset, *regis*, inquam *cor sit in manu Dei*, qui format omniū *corda & spiritum*, & ponit cogitationes in illo. Pro. 21, 1. Ps. 33, 15. Zach. 12, 1. Neh. 2, 12. Hæc enim & alia ejusmodi palam fient, si obturemus primo ipsam fæditatis scaturiginem. Supra dixi Deum condidisse mundum liberrimo consilio, & noster, ut fidei fundatum ponit *quod Deus omnia ex absoluto beneplacito faciat*. Pag. 163. Nec in idea Dei, ut clarum est, continetur mundi aut rei alicujus productio extra ipsum. Quod ergò mundus à potentia Dei creatus & à sapientia ejus ordinatus est, libero consilio fuit sine naturæ divinæ determinatione. Itaque & hoc modo conditum & hisce legibus creaturæ impressis nulla fuit neque in natura mundi necessitat. Potuisset fortè ita condi ut certo tempore præterlapso, seipsum consumeret & in aliam formam converteret, cum jam videamus annorum Chiliadas eadem mansisse facie. *Scopus* Deo fuit (ut de Ente infinito ad similitudinem mentis finitæ loquamur) *Gloriæ manifestatio*, *regula sapientia & bonitas*. Jam si ita visum Deo fuisset ab æterno tanquam sibi gloriosissimum, ut hominem conderet sanctum & rectum, sed irreprehensibili dispositione permitteret labi

labi & communione Dei sese indignum reddere, in extremam autem mentis corporisque miseriam seipsum projicere, idque eo fine non impediret, ut quidem potuisset, quia ex tenebris illis lux major educi poterat, istaque corruptio occasio & materia futura erat omnes divitias sapientiae, potentiae, Gratiæ, sanctitatis &c. illustribus operibus manifestandi, idque ipsa facere decrevisset, præordinando mediatorem, sponsorem, redemptorem qui eam cum gloriæ, Dei quam dixi, demonstratione, certam multitudinem misericordiarum hominum (suo vadimonia & virtute præstando quod in ipsis & ab ipsis desiderabatur) sanctificaret & ad æternam felicitatem adduceret eosque pro temporum diversitate in hoc mundo sapientissime gubernaret, ut supra dictus splendor Majestatis divinæ optimè effulgesceret, anne conscientia hominis secundum impressas sibi veritatis ac bonitatis regulas, quicquam in hoc consilio reperiret Deo indignum? id ergo fieri si potuit (quemadmodum sane nos homunciones facilius dicere possumus quid potuerit, quam quid non potuerit;) unde quæso nisi ex eventu revelatione scilicet & opere ipso discendum est, istud ne revera ita decretum fuerit an secus? Ex qua externa voluntate quum fiant omnia, non ita considerandum est redemiōnis opus & quæ ad eūstum revelationem tum executionem spectant, quasi consilium Deus ceperit in arena, de quo non cogitaverit, quum ordinando causas naturales potentiam suam ordinariis operationibus adstringeret. *nota* enim Deo sunt ab æterno omnia opera sua. Act. 15. 18. jam porrò si ad hominem restituendum, mediis corporeis Deus uti voluerit, quæ mediante visu atque auditu ad mentem ejus pertingerent, id ne potuit sancte, decenter, sapienter & absque sui abnegatione & contumelia? potuit ne inquam pro natura & capacitate hominis agere & loquendo, scribendoque voluntatem suam & salutis medium revelare, & quidem ita ut homo fe-

secundum conscientiam & divinæ in se imaginis reliquias & veritatis ac sanctitatis Deum decentis sibi impressas notas , excitante & dirigente Deo ipsam mentem , judicans , non possit in judicio de divina revelatione falli ? Potuit Deus utique . Quidni enim potuerit aut soni editu aut objectu symbolum atque signum dare , non quidem suæ existentiæ ; (ut noster pag . 4. ad movendam difficultatem fingit ; ) sed gratiosæ suæ voluntatis , salutis , & auxilii ; cum cæterum ejus essentia sub sensus non cadat . Quæ signa cum non possent nisi cum relatione ad Deum se manifestantem à piis ac prudentibus attendi , rectè sonus articulatus in Sinai vocatur *vox Dei* & figura emblematica , *Deus* , postquam scilicet Deo placuit eo modo voluntatem ac præsentiam suam significare . Potuit & ex æterno decreto revelationi illi sua opera quædam præter & supra communem & constantem mundi ordinem & actionum naturalium fixas leges annexere , eaque isto modo aut coram multorum oculis edere , aut longè ante prædicere , ut homo agnoscere debeat , eum qui se revelat esse Deum omnium rerum conditorem & gubernatorem . Id autem quod revelatur voce vel figurâ , ad minimum ita certum esse potest revelari , quam me jam solem viderè aut tonitruj audire . Quod mihi ita indubium est , ac Deum sanctum ac veracem , non posse authorem esse falsi iudicii . Præterea nescit quid dicat hic homo , dum Prophetiæ certitudinem (in ipso nimirum Propheta) inter alia ait de pendere à mente ad æquum & bonum inclinata , & tamen moralem id est , conjecturalem ait fuisse quæ non ex necessitate rei perceptæ sequitur (pag . 18.) Quasi verâ bonitatis non æque ac veritatis regulæ constantissimæ & firmæ in mente humana sint impressæ & judicium hominis de utraque æquè certum sit .

Judicem nunc fero quemvis pium , attentum atque prudentem Prophetarum nostrorum omniumque simul scripturarum lectorem , an non quæ paullò jam ante pro-

produxi, ita legantur revelata & facta summâ consonantia & divinitatis tam illustribus operibus extrinsecus, quam intus ad conscientiae dictamen demonstratione? an non alia Dei apud Prophetas & pios manifestatio, quam Zinospa finxit, in certis phantasmatis seu cerebri dispositione, seu latente naturali causa formatis, consistentem? an non alia populi Israëlitici electio, ejusque finis & scopus & methodus & gubernatio alia, quam ille somniat, communem aliis nationibus? an non sanctissimæ & sapientissimæ propositæ veritates, quas ille præjudicia & erroneas opiniones vocare non erubescit? De temperamenti, educationis & ejusmodi diversitate, eatenus non difficulter admitto, quatenus placuit Deo, multi formiter eandem rem ad majorem certitudinem proponere, atque idcirco ingenio & capacitate Prophetæ, quadam tenus se accommodavit, id est, voluit, ut res notas, aptissimis, quibus uti solebant, vocabulis exprimerent, illoque linguæ atque sermonis sibi usitati genere, quod jam callebant & cui assueti erant, quantum hæc quidem vitio carebat & rei exactè digneque explicandæ sufficiebat. Proinde non è usquè id verum est, ut Deus non emendare potuerit aut voluerit imaginationem alicujus, si quando res requirebat, ut clarius revelatio fieret, sed obscura maneat, quia nullus tum temporis repertus sit, qui tantum imaginationis virtute polleret, ut ipsi clarius revelari potuerit, ut Zinospam non pudet loqui p. 21. Sufficiat hoc modo quantum ad primarias hypotheses, digitum in fontem intendisse. Non enim hic nobis commentarius integer scribitur. Ea est etiam ratio, quare quæ de vocabulo Θεοῦ prolixè φιλολογεῖ, ut Deum spiritum sanctum suā majestate divinā privet, jam non examinemus. Norunt orthodoxi & contra Socini sobolem hactenus asseruerunt satis, quid per spiritum Dei & Sanctum intelligere debeant, in Prophetarum non solùm monumentis, sed & in Christi concionibus & Apostolorum ad gentes, Iudæorum u-

tique præjudiciis & phrasiologyis ( in quas multarum phrasium vim & emphasin gratis resolvit) non assuetas, scriptis epistolis. Non dubito quin tu, Amice , pro tua pietate & perspicacitate , delectum facili negotio instituere queas. Scimus vocem *spiritus* , nulla in lingua ratione primæ significationis, divinam naturam aut personam denotare, sed per similitudinem illius, quod in homine per illud vocabulum exprimi solet. Deus *spiritus* est, id est, Ens à materia remotum & cogitans, volens, cuius similitudo est in mente nostra. Ita quia quod hominem vivificat, *Spiritus* ejus appellatur: hinc in sanctificatione hominis peccatoris , ejusque in peccatis mortui *vivificatione*, illa persona quæ in mysterio Patris, Filii & *Spiritus Sancti* (cujus revelatio ad redemptionis opus pertinet) tertia est , id præstat, quod *spiritus animalis* ex. gr. in corpore, qui motus, vegetationis & virtutæ principium est. Mitto quod alias dici solet, de modo originis & relatione hujus personæ ad alias duas. Jam quoniam Deus *salvator* noster non potest aliud esse quam *Creator* Deut. 32.15. Psal. 24. &c. ita *spiritus sanctificator* idem est, per quem & primus motus est, & quasi vegetatio & vita mundo data est, Gen. 1.2. Cùm ventus, seu aëris agitatio esse non posset, aëre, nondum creato, nec τὸ θερμόν leniter & ad favendū se super aliquo movens , potest attribui vento fortissimo, ut noster interpretatur pag. 10. Nec mirum , si illud quod hominem, ut *rectum* & cum *vita Dei* creatum , primum animavit & vitæ imbuit, ut mens, & anima omnis, *spiritus Dei* nomine, nonnunquam insigniatur. Quemadmodum pag. 11. ex Iob. 27. 3. collato Gen. 2. 7. &c. quanquam post peccatum & veram vitam deperditam, homo animalis dicatur *Spiritum*, id est, *Dei* & *santum*, non habere Jud. vers. 19. Jam quando prophetæ, per quos Deus verba vitæ loquutus est, dicuntur acti à *spiritu sancto prophetasse*, 2. Pet. 1. ult. *spiritum Christi* (cujus merito, fidelibus communicatur, & ex quo tanquam capite eadem

dem vitâ universum corpus replet) in prophetis fuisse, illisque ante testificatum esse & manifestasse scrutantibus, passiones in Christo & gloriā post illas. I. Petr. i. ii. idēque, quæ verbotim per prophetas scripta sunt, spiritum dicere I. Tim. 4. 1. Et quæ alia multa similia sunt, ut, quando spiritus supervenire, & alicui infundi dicitur, anne pia mens in scripturis non peregina, cum nostro perversore mentem & sententiam Dei, aut virtutem singularem & pietatem, seu inclinationem ad justum & æquum erga proximum, aut cognitionem, cuius causas homines ignorabant &c. per Spiritum intelligat? tantum abest ut qui id faciat, non possit non pro malevolo & veritati irato depravatore haberi & qui studio id agere velit, ut lux reddatur & videatur tenebræ.

Percurramus nunc breviter catalogum illorum, quæ allegat ad probandum Prophetas revelationes accepisse secundum imaginationis dispositionem, affectus & opiniones proprias, eo quidem, ut videtur sine, ut non tantum omnia reddat dubia, sed & in his causam & originem Prophetiarum aliquò modo constituat. Quod ergo primum de Magis attinet & de Nebucadnezare (Matth. 2. Ezech. 21. vers. 26.) neutrubi fuit prophetia. Magi enim tantummodo stellam se vidisse dicunt: neque profectò adducti superstitione regem quærebant, sed credibile est, fuisse illos ex Bileami posteris, apud quos Deus Prophetiam de *stella* & *sceptro orituro* (id est, rege præclarissimo quem *visurus* erat Bileam non tunc sed longè post,) servarit. Num. 24. 17. cui accedere potuit prophetia *Danielis*, aut similia: in altero tantum est universalis directio Dei, ad exequenda sua judicia. Sed noster Prophetiam nobis dabit, quoties sors projicitur in gremium & à *Jehova* omnis ratio & sententia ejus Proverb. 16. 34.

Quod de *Elisa* ex 2. Reg. 3. adfertur, gratis singitur. Nam ut Regi Israëlis post modum non desit esse iratus, ita regi *Jehudæ* iratus non fuerat, & Prophetiam hu-

jus causâ tantum suscepit vers. 14. 15. sive ergo demulcere & tranquillare animum Elisa voluerit, sive somno obrui per fidicinem, parum refert; non sequitur revelationes factas pro affectibus & passionibus animi. *Jeremiæ* mæstities parum fecit, ad calamitates Judæis prædicendas, ut noster vellet, sed Dei manus & spiritus illum agens cap. 20. vers. 7. & 9. Falsum certè, fuisse *Josia* iratum, cuius obitum acerbè planxit. cap. 35. 25. 2. Chronicorum. Non ergò hæc causa est, quare *Hulda* fuerit consulta cap. 34. verf. 22. rege sanè non jubente, ut præterito *Jeremiâ* fæminam consulerent. vers. 20. 21. Adde quod responsu in *Hulda*, nil minus quam misericordiam at remissionem illorum, quæ in libro legis scripta erant, renunciare jubeat regi, nisi quod prædictit Iosiam ipsum, propter pœnitentiam actam, non visurum illa mala. vers. 24. 25. 26. Quod *Michæas Achab* nil boni prophetavit, non ira ejus, aut odium, sed Dei revelatio fuit, ad quam se habebat indifferenter, ut vers. 14. l. c. videre est. Nec mirum, si Deus antequam Achab dedoluerat planè, majori bonitate usus est, & ad convictionem ejus, singulare beneficium annunciarci curavit cap. 20. Quæ de styli diversitate affert, & ex *Esaia*, *Amoso*, *Ieremia*, *Obadia*, *Hosea* confert, ex superioribus patet, posse cum grano salis concedi. Non vult Deus omnia omnibus eodem modo & tempore dici. Vult Deus eandem rem, eadem judicia, idem fædus, easdem vias suas ita proponi à diversis, ut ex iis quæ unusquisque quasi partitum sub peculiari emblemate aut orationis & verborum schemate exprimit, universum mysterium clariùs & certius cognoscatur, ita tamen ut fœderis gratiosi formulam ipsam, & capitales promissiones, verborum ferè narrent omnes. Deum velle *Deum Israëlis*, id est, ejus regem sanctificatorem, salutem, assertorem, rupem esse & fieri, & ab Israële non bruta sacrificia, ut fœderis & communionis adipiscendæ conditionem, sed fidem, pœnitentiam, amorem Dei & pre-

proximi requirere. Venturum certo tempore aliquem & ambulaturum inter ipsos, in quo & per quem Deus omnem gratiam & benedictionem fit effusurus, non tantum in ipsis, sed & omnes familias terrae &c.

Unde jam facile patet quid de hieroglyphicorum (ut vocat pag. 20.) apud Esaiam & Ezechielem diversitate, itemque de Zachariæ & Danielis obscuritate, (quos ego tamen video, reliquis ferè clarioribus,) judicandum sit. Hoc certum est, non esse hæc illo ex fonte derivanda, quem nostro indigitat. Lectoris considerantis esto judicium. Prophetas non semper intellexisse omnes illius rei particulares circumstantias, quam prædicebant aut delineabant aliquo typo, quod anxiè moveret, libenter damus. Tantò enim magis fraudis abfuit suspicio. Hiërichuntini prophetarum discipuli, nil refert quorsum intelleixerint, *Eliam* transferendum. Sed ad opiniones & præjudicia pergendum est. In *Iosua*, (cap. 10.) non propriè prophetante, sed cum Zeloprecante, non fuit erroneum præjudicium. Veritas enim est, situm solis respectu partium terræ quotidiè mutari, & ita solem revera moveri. Hæc enim vera motus ratio & definitio est: an vobis sol, quando situs ejus respectivus ad terram mutatur, eunden erga alia corpora cælestia servet fixum, & ita possit dici semper consistere, *Iosuæ* hic neque revelatum fuit, neque ad miraculum quicquam facit. Stetit ergo & quievit revera sol, id est, situm suum respectu horizontis illius servavit fixum. *Refractionem* autem, quam hic homo ad enervandum miraculum singit ex vers. 11. cap. 10. non modò contra vers. 13. sed & contra rationem naturalium causarum esse, vel indo patet, quod in illa glacie quæ utique supra verticem ipsorum erat, radiorum solis horizontem tum subeuntis, & ita propter terræ gibbum ad medias aut infimas aëris partes in medio horizontis, nequaquam pertingentium, refractio fieri non potuerit, nedum per integrum diem durare.

Eadem malitia se prodit in evacuanda altero miraculo umbræ retrogradientis, de quo<sup>z</sup> Reg. 20. Nam *parhelium* non fuisse, legati babylonii satis indicant (si vel maximè omnes Hierosolymitani, Astronomiæ & omnis experientiæ ignari, imò studipi fuissent;) de miraculo quærentes 2 Chron. 32. 31. Ergò neque Babylonia Astronomos habuit? profectò nugæ hæ sunt timidi philosophastri. Ut nunc taceam dioptricorum ferulam illi homini metuendam, si *נִירַע gradus*, intervalla horarum, notata in indice Ahasi denotent. Gradus enim cælestes in hæmisphærio esse non possunt, quippe retrogressio denorum graduum inter 180. & fortè plures, vix notabilis est, futura etenim in nostris indicibus semihorii aut duarum tertiarum. Jam, ut sol apparens sive ex hypothesi posteriori tam propinquus sit vero, sive ex priori tam longè ab eodem remotus sit, ex lege parheliorum fieri non potest, nube tali, quæ reflexionis, vel reflexionis causa esse potest, vel parvâ nimis existente vel majore quam unquam visa est, quippe horizontem propè omnem obumbrante. Sed pergamus. Salomon exprobat (pag. 22.) nescivisse ipsum proportionem inter circumferentiam & circuli diametrum, ex 1 Reg. 7. 23. debuisse ex textu dixisse illos, qui filum circumdederint illi vas, ita luscios fuisse, ut non videarent longitudinem triginta cubitorum non comprehenderem circulum, cuius diameter erat denorm, ponitur ergò numerus completus & par, pro incompleto & impari, *decem*, pro circa decem, *triginta*, pro circiter triginta, Cujus ratio obvia posset esse legenti vers. seq. ubi triginta decades *נִירַע* sive colocynthidum memorantur ambiisse labrum, quare pro illorum ratione rotundari, ut ita dicam, numerus cubitorum debebat, imprimis quum non istud hic coerit Sp. S. ut Matthesi philomori satisfaceret. Pari porrò insania pergit fingendo, Noachum sexcentos annos vitæ suæ ita stupidum transegisse, sive stertendo, sive domi desidendo,

ut

ut intra sesquimille annos homines ultra arctos patriæ suæ Palestinæ, (quam nequidem inhabitasse constat terminos, transiisse nesciverit. Sed de diluvii universitate jam olim docte & solidè disputatum est, imprimis ab illis, qui Præadamitarum authoris, æquè absurdi, & ex cuius agro noster quædam etiam excantavit, ineptias refutârunt vid. imprimis *Celeberr. D. Maresium.* Sed ne hæc leviora videantur quâm ut Prophetæ reprobandus sit, qui cælestia magis quam terrestria docere curat, ad majora transit. *Habuisse*, ait, prophetas admodum vulgares de Deo opiniones. *Adam nescivit esse Deum omnipresentem & omniscium.* Unde hoc fugit Dei vocem. Ergo dum peccator judicem horrens, optat effugere, si posset, credit se posse qnod vellet & conatur, in illa suæ conscientiæ trepidatione? *Adam crearem universi nescivit infinitæ potentiae & scientiæ.* Quare? nempe vocem Dei, non articulatam (eâ enim vocatur demum vers. 9.) sed indefinenter *hinc inde per horrutum cum venti turbine ambulantem*, & cum horribili strepitu per vagum aëra resonantem, boantem, reboantemque, tanquam sferatæ felicitatis, inexspectatum primordium horruit. Hec scilicet sunt theologo-Politici nostri Hebræa sua tantoperè jactantis, ratiocinia. Nam vocem illam horrendam, & continuum fragorem seu tonitru, fuisse distinctum à compellatione Adami, non modò ex coll. vers. 9. sed & Exod. 9. 29. cap. 19. 19. & Psal. 77. 18. discere debuisset. *Kaino*, egregio scilicet Prophetæ, Deus judex confessionem sceleris extorsurus, quærat quod viderat & audiverat, qnod Kain vel ex ipso hoc examine percipere poterat, si maximè nescivisset. *Quod tamen falsum esse*, patet vel historiam sacrificantium fratrum, percurrenti. *Labano* visum esse unamquamque nationem suum habere Deum peculiarem ex Gen. 31. 29. non probatur, nisi forte Hebræus noster לְאָלֵי יְהוָה velit interpretari Deo manus meæ. Cum hæc phrasis, quid significet, videri possit,

Deut. 28. 32. Neh. 5. 5. & alibi : Et *Deum Abrahami*, Laban intellexit talem, cui ipsemet se subjicere quoque deberet, sed qui Abrahamo ejusque semini, fædere esset addictus, quemadmodum illum cui tanta cùm Abrahami familia necessitas & conjunctio, & vicennialis nuper cùm Jacobo conversatio, latere non poterat. Sed extra metam est, quod cùm illi tantum Prophetæ adducendi essent, quibus illa verba sua dedit Deus, quæ fædus suum ejusque executionem spectant aliis renuncianda, hūc *Kainus*, *Laban*, *Abimelech*, *Arsipices* Nebucadnezaris, tanquam Saul inter prophetas accensentur. Dum autem pergit & *Abrahamum* atque *Mosen omniscientiam Dei non credidisse* asserit, sibi ipsi sponte vapulat, qui infrà cap. 14. pag. 163. tertio loco, inter fideli fundamentales articulos, quibus cùm obedientia reciprocetur, fidei omnipresentiæ & omniscientiæ numerat. Sed fortè & Patriarchæ infideles fuere. Sed illud, Gen. 18. 24. non Deum sed Abrahamum ipsum spectat, qui petitionem suam à conditione sibi incerta suspendit. Cæterum non confessio modò judicii Dei justissimi in omnes terras, sed & remissio sanctæ suæ licitationis, docet ipsum credidisse, Deo jam notum esse iustorum numerorum. Sed quòd Deus formâ humana cum duobus Angelis se Sodomam judicaturus, quasi confert, argumentum erat, *Filio hominis omne iudicium datum*, Joh. 5. in primis quoniam hæ civitates propositæ sunt δειγματικαὶ αἰώνια δικαιαὶ ἐπεισόδια. Jud. vers. 7. Sed præterea Deus vult judicia sua coram omnibus justificare, unde partim inquisitus, partim impietarem profligatissimam quasi experturus ipsemet, isto modo se gessit. Anatomiam porrò, quam dat fidei Mosis, ne examine quidem dignam existimo. Ita enim exorbitat. *Illi*, & *Davidi*, & *Ione*, & pluribus si voluisset, creditum ait, esse alios Deos qui reliquis nationibus præsint, ut Deus Israelis (qui à diversis aliis atque aliis creditus sit) Israëli. Audetq; id probaturus, quasi

quasi noller lectorem nisi bardum, ablegare ad 2 Paralip. 32. 19. ubi *Dii populorum terræ memorantur* quidem, sed & dicuntur esse *opus manuum hominis*, quibus opponitur *Derus verus creator cœli & terræ*, sanctificator & Deus Israëlis peccatoris, qui in typum futuræ in carne manifestationis, Hierosolymæ voluit habitare. Gentes vero alias suis palare viis permisit ad tempus, id est, per verbum & fædus gratiæ ipsas ad sui communionem non revocavit. Israëlitas autem populum suum vocavit, iisque fædus suum illo modo obtulit & dispensavit, quemadmodum sanctissimæ sapientiæ ejus visum, & ita quidem ut illa administratione suæ gratiæ & gubernatione, ecclesiæ suæ *partim* typus preberetur futurorum, & fideles tam *illius* quam *hujus* temporis, præclara haberent fidei suæ argumenta; *partim* ut peccati gravitas & carnis impotentia, simulque mediatoris pontificis, & spiritus sanctificatoris necessitas in quotidiano illo externo cultu, illiusque loco, instrumentis, tempore & modo appareret. Quemadmodum hoc non tantum & clarum est ex N. T. scriptis, imprimis Pauli de Israële & lege, iteratis in Epp. ad Romanos, Galatas, Coloss. & Hebreos commendationibus, sed ex ipsa ad Patriarchas facta promissione, etiamque ad Sinai stipulatione, & fidelium illius temporis fide ad futura respicientis externaq; illa ut typum & præparationem majorum, & cœlestium considerantur. Summa eorum quæ Deus Abraham, Isaaco, Iacobō in fædere Gratia promiserat, est. *Ego Deus tuus & semini tui.* Oeconomiam antem hujus Gratia ad sapientiæ, potentia, ac justitiæ suæ demonstrationem & confirmationem fidei Patriarcharum & filiorum, talem furoram in primùm certo tempore post 400. annos, posteros eorum ex Ægypto educturus sit in hæreditariam Palestinæ possessionem, ut nempe ibi populus separatus sint, *quorum Deus velit esse Deus, rejectis aliis gentibus;* sed futurum demum ut aliquis certus

ex semine hoc Abrahā carnali in hac natione & terra  
sit naturus, in quo fiat vere *Deus peccatoris*, & author  
omnis benedictionis non tantum Israēlitis, sed omni-  
bus familiis terræ. Lege Gen. 15. vers. 17. & 22. &  
18. &c. Quare Israēlitæ fideles audientes Dei vocem  
dicentis : *Ego Iehova Deus tuus qui eduxi te ex Ægypto*  
*& Domo servitutis* & te jam introducturus sum in ter-  
ram patribus promissam ut, in illa suo tempore vobis  
fiat quod sum, & quod me porrò futurum promisi in  
fædere & Testamento meo : non poterant in illo bene-  
ficio corporali subsistere, sed illud considerare ut ini-  
tium impletionis promissorum, nec spe terræ illius  
tanquam apice bonorum promissorum acquiescere, sed  
in illo porrò exspectare illud semen per quod Deus  
ficeret *peccatoris Deus*, id est, *satisfactor*, (Ezech. 20.  
vers. 11. Collato cum vers. 20.) & benedictio redun-  
daret in omnes populos, & ita Canaan disineret esse  
peculiaris *hæreditas*, Dei & populi ejus. Hæc cùm er-  
gò manifesta sint & fiant magis magisque scripturam  
rectè consideranti, nihil amplius reponimus illis quæ  
pag. 27. ut & cap. 30. ferè toto de *Israēlis electione*  
preducuntur, nisi quod de Prophetia illi populo præ  
omnibus peculiari, mox aliquid dicetur. Tantum adhuc  
noto, homini nostro nihil tam frequens esse quam sibi  
contradicere. Quod enim pag. 25. agnoscit Genesim,  
Deuteronomium esse Mosis scripta, in quibus ipse lo-  
quatur & doceat, id inferius pejerando ibit inficias,  
cap. 8. Sed illi hoc tantum propositum est, ut suæ ser-  
viat hypothesi. Quod de contrariantibus sibi invicem  
Prophetarum opinionibus & dictis addit, jam olim in  
postremis Theologicæ Scholæ subselliis, disputata au-  
divimus. Non majoris ponderis est quod clausulæ loco  
adjicit, ut Christi & aliorum conciones, argumenta  
tantum ad hominem continere evincat. Quâ ratione  
Enangelium omnisque scripture, aut parum aut nihil ad  
nos pertinebit. Nec mirum sit, si noster religionem ab  
omnibus

omnibus illis superstitionibus scilicet , reformatam  
 exoptet. Cap. 11. in fine. Non opus autem erit ut  
 locum Ezech. 14. vers. 18. (pag. 17. allegatum ut  
 probetur prophetiam cum signo etiam falsam esse posse)  
 explicemus ; cùm , quorum habemus monumenta,  
 noster non neget veros fuisse Prophetas. Cæteroquin  
 quomodo illud de falsis Prophetis debeat accipi legenti  
 non potest esse obscurum , nempe , si quis *stercora sua*  
 seu carnis impuræ abominabalia Deo ratiocinia , verbo  
 Dei quod veritas & sanctitas est , ante ponat : illum  
 justè à Deo punitum iri propter hypocrisim quâ se si-  
 mulat desiderare responsum Dei , & futurum Deum  
 ut Prophetæ à talibus consulto aliquid reveletur , quod  
 illis sit secundum suas pravas spes & opiniones , ut ita  
 obfirmentur & *in suis theocoribus pereant*. Unum illud  
 restat quod cap. 3. multis probare admittitur , nempe  
 & legislatores & Prophetas habuisse alios populos.  
*Melchisedech* , ait , *fuit rex & pontifex in Salem*. Ergo  
 Deus pontifices ibi constituerat certis legibus & statutis  
 quæ Abraham observavit Gen. 26. 5. respondeo Abra-  
 ham servans *fædus* Dei ejusque *sacramenta* , circumci-  
 sionem & sacrificia , itemque quod *de sanguine* datum  
 erat Noacho præceptum , non absque mysterio Gen. 9.  
 4. benè illud elogium potuit ferre , quod legitur l. c.  
*Melchisedech* autem singularis fuit pontifex , in quo  
 non dubium est quin Abraham quoque agnoverit ty-  
 pum , quem & psaltes Ps. 110. & Apostolus , Heb. 7. re-  
 ferunt ad antitypum. *Ius sacrificandi* ante , primogeni-  
 tos Israëlitarum tanquam impuros repudiatos (quod  
 factum in deserto post peccatum vituli Ezech. 20. 36.)  
 illius erat qui seu in familia (ut pater familiæ , deinde  
 primogenitus paternæ authoritatis hæres) seu in populo  
 integro , cæteris præerat. Qui mos permanit in usu  
 etiam apud gentiles , religione jam quoque in super-  
 stitionem versa , nisi alicubi sacrorum inventio , familiæ  
 auctoris jus sacrificandi proprium redderet , quales  
 erant

erant Eumolpidæ apud Ahenienses , & domus Herculei custos Pinaria templi . Virgil . lib . 8 . Æn . Et bene id faciebant , quotquot ut Abel & Noah ex fide promissio- nis primitus datæ , Heb . 11 . inter homines conservatæ , id præstabant . Qualis Malchise dech fuit , sed sine suc- cessore . Cui , grato erga Deum animo Abraham deci- main prædæ partem , ad sacrum usum erogandam dona- bat , benedictionem ab ipso vicissim recipiens . Sed ni- hil hoc exemplum Zinospæ servire potest , ad negan- dam electionem Israëlitarum propriam , quippe quin- gentis ferè annis post Melchisedecum factam . Sed Ma- tachia ait cap . 1 . vers . 10 . 11 . Clare dicitur , Iudeos illo tempore non magis dilectos fuisse Deo quam alias nationes , immo Deum aliis nationibus miraculis magis innoverisse quam tum temporis Iudeis . . . . . Deinde nationes , ritus & ceremonias , quibus Deo acceptæ erant habuisse . Nihil Malachias de miraculis , nil de ritibus & cære- moniis Deo inter gentes acceptis . Sed fit oppositio , in- ter irrationalia carnalium Judæorum sacrificia & illa spiritualia , viva , rationalia , quibus Deus glorificatur ut Ps . 50 . & 51 . El . 1 . & alibi . Rejicit autem Deus planè illum cultum , quo populum minorenem (Gal . 4 .) antea exercuerat , quando prædifinitum Novi Testa- menti tempus appellebat . Non libabo amplius libamina vestra (Ps . 16 . 4 .) non acceptum habeo munus e manu vestra siquidem ab ortu solis &c . q . d . jamjam instat tempus quo populum meum spiritualem & cultum spi- ritualem , sanctum & mihi decorum ac gloriosum , per omnes gentes instituam , per prædicationem nominis mei , id est , gratiæ , fæderis , Euangelii . Illis enim nomen Dei patescit , quod cum gloriæ omnis suæ de- monstratione , velit fieri Deus peccatoris . Cætera quæ affert nullius planè ponderis sunt . Prophetas nullos legimus gentiles , postquam Deus fædus suum ad Israë- litas restinxit , præter Bileamum falsum Prophetam . Nam magus cum fuerit , Deus illo usus est ad benedi- cendum

cendum populo & loquendum magnalia sua , quem admodum asinâ ad ipsum coarguendum. Itaque vel Bileam nobis contra Zinosspam testis sit , prærogativæ Israëlitarum, in quorum gratiam cogebatur eloqui quæ noluisset. Sed quod Ifraëlitarum Prophetæ , seu ad populi sui convictionem jussi sunt , aliquando ad gentes ire , ut *Ionas* , seu de gentibus Israëltarum hostibus conterminis vaticinari ad exemplum , ad cautelam , quin & ad institutionem ecclesiæ , ad hostibus futuris , quos sathan simili schemate ita producturus erat , ut actiones & pænæ priorum & posteriorum sibi ut typus & antitypus responderent ; nihil facit ad probandum , prophetiam , de qua nobis sermo , Israëli propriam non fuisse. Tandem & vexandum erat , expressum & cum asseveratione probatum testimonium Rom. 3.2. *Esse per omnem modum , prærogativas Iudeis præ gentibus , quarum primaria fit quod elogia Dei illis sunt credita* ; etiamsi statim ad scopum suum demonstret , esse illos nihilominus sub peccato , & indigere iustificatione per fidem in Christum non alio modo ac gentes quoque. Ac proinde nunc , abrogatâ pristinâ œconomia , Deum omnium Deum velle fieri & quidem eodem modo.

Quæ porrò cap. 4. 5. 6. 7. disputat ex superioribus facile , quatenus vera sint , maximam partem attentus lector percipiet. Quæ *lex operum , lex fidei , lexque placitorum Israëlitis imposita fuerit* , & quænam unius cuiusque ratio , veritas & fundamentum , an ex natura Dei & hominis dependeant , an verò ex arbitrio Dei ut *principis latæ* sint , non opus erat his difficilibus philosophematis , ut intelligeretur. Ad *Miracula* dum enervanda (ut firmitatem super-naturalis revelationis subrueret) naturam ampliat & nescio quorsum non extendit , Dei liberrimam potentiam nimium coarctat ; sed quantum conjicio , ista huic homini mens est , mundum & omnia quæ extra Deum sunt & fiunt , æternæ esse .

esse necessitatis , nec potuisse unquam non esse aut esse aliter. Voluntas & decretum de Deo usurpata ipsi verba tantum sunt. Rem ipsam negat. Egregium sàne poilosophum , *ideam* in se *Entis summe perfecti* dignè contemplantem: Quæro possisne Deum concipere, absque conceptu rerum extra ipsum existentium? credo equidem , nisi fateri velis te insanire. Ergè & esse potest absque mundo. Quippe suâ sibi perfectione sufficiens. Sed mundus ipse in conceptu suo non involvit existendi necessitatem, potuit ergo non esse. Sed est tamen. Necesse ergo est , ut ab Ente summè-perfecto dependeat , non dependet ab ipsius naturâ & essentiâ. Ita enim mundi existentia esset , ut ita dicam , pars perfectionum Entis summè perfecti , nequæ hoc sine illo posset concipi. Unde ergo ? inter perfectiones Dei est potentia, quæ juxta sanctam voluntatem facere potest ut aliquid exstet ; ut ex. gr. corpus , aut etiam mens , seu res cogitans. Mundus itaque est , & hoc vel illo modo & ordine est , subsistit & agit , quoniam ita tulit sancta Dei voluntas , secundum quam omnia efficit ejus potentia. Jam quod corpora in se invicem motu eoque prodiverso occursu juxta certas leges variò , mens autem incorporea solâ voluntate motum corporis determinat , agant , ordo naturæ est , rebus creatis inditus : secundùm quem ordinem si omnia semper eodem modo agere debeant , necessum est , id Deum quoque voluisse. Sed si non voluit , verùm sibi notis de causis hic & nunc præter ordinarium cursum quicquam debeat fieri , id fiet proculdubio vi æternæ voluntatis divinæ , idque vel per causas naturales , aliâs , seposito Dei decreto non concursuras , vel immediate per primam potentiam creantem. Ita vides non repugnare ut Deus faciat miracula , non quidem *contra* , sed *præter* naturam , idque potentiam , quæ naturæ ordinatrix ac magistra & ita *supra* naturam est. Contra leges naturæ propriè fieri nil potest. Ex. gr. corpus minus forte

forte & solidum alteri fortiori & solidiori occurrenti non cedere, *verum* fieri non potest, quoniam per Dei voluntatem contrarium ejus verum est. Verum, ut corpus ejusmodi, vel augeatur subito aliorum accessione, vel consolidetur particularum quiete & ad se invicem applicatione, aut saltem vis renitendi potentia supremam intendatur, & ita non cedat alteri occurrenti, per id, regula motus naturae nihil plane violatur. Hoc modo disparebunt omnia Zinospae (quae necnit cap. 6) sophismata. Non plus sanæ sobriæque mentis, in illa (cap. 7.) descripta methodo interpretandi scripturam appareret. Regula i. prærequiriens linguarum peritiam vera & utilis, quamquam sine illa difficultate, quæ pag. 92. 93. movetur. *Dictionarium & grammaticam*, inquit, *Hebræam non accepimus ab antiquis, ergo lingua ita obsoleta est, ut intelligi nequeat.* Quasi verò non ipse sacer sui voluminosus Codex, & Judæorum (quibus non lingua sed puritas periit; ipsas *vocabulorum significations nec potuisse mutari nec ex usu cuiusquam esse potuisse*, ait ipse pag. 91.) continuatus usus utrumque suppediter. *Gammatica falsa supponi non potest.* Lexicon dat vocabulorum hinc inde repetitorum collatio. *ἄταξις ληγόμενα* pauca sunt. Et habemus versiones Chald. & Græcas antiquissimas. Radicum significatio in hodierno Hebræorum dialecto vix unquam aut non multum saltem ab origine mutata. Sed *Hebrei literas*, inquit, *eiusdem organi confundunt* (in loquendo utique non in scribendo) *adverbiorum & præpositionum multiplex significatio est*, item *tempora nonnulla distinctis terminacionibus distinguere non possunt.* Ergo *scriptura Hebræa plane dubia est.* Debebat concludere. Lingua Hebræa lingua non est; sed sonus sine sensu. Sed quidni & latina, in qua & vocabula & particulæ saepe non unius significationis, itemque modorum ac tempore diversorum coincidens terminatio. Depunctis vocalibus & destinguentibus, ut & Masoretarum notis, satis fecit

fecit Cl. Buxtorffius literato orbi in *Tiperiade*,  
*Secundæ regulæ postulanti colligere uniuscujusque libri sententias*, easque ad summa capita redigere, substituere potius debuisset *analogiam fidei*, ex Apostoli monito, in Prophetis explicandis, observandam, Rom. 12. 7. ut nempe jacto primū fundamento in quo omnes conspirant, deinde paulatim fiat ex ædificatione fidei partium.

*Tertia* demum, quæ circumstantias scriptoris & scriptorius vult enarrari, et si non careat suo usu, non tamen extendendam esse ad phantasiam, errores, præjudicia scriptoris, supra satis ostendimus. Libros autem nullos corruptos, depravatos, mutilatos esse, mox videbitur. De translatione nonnullorum in alias linguis, quorum authenticus perierit. Non ponit absque probatione. Cæterū veram interpretationis methodum docuere dudum orthodoxi, & accuratè quidem inter alios Cl. Coccejus p. m. in proæmio comment. in Ep. ad *Romanos*. Et in præfat. ad *Ephes*.

Sed quid opus est omnia tenebrionis obscura vestigia legere. Itaque missis aliis, concludam ubi paucis examinavero illa quibus Pentateuchum Mosis cæteraque omnia non esse scripta authorum quorum nomina præferunt autographa; & proinde, quod intendit, omnia dubia.

Capite itaqne octavo primū effatum *Aben Esræ* proponit, quo sex dubia continentur contra Pentateuchi authoritatem.

I. Est ex Deuteronomii præfatione, tolliturque rectâ acceptione vocis יְהֹוָה, quod non modò *trans* sed & *cis* significat, ita ut Moses, quanquam Jordanem nunquam separavit, nihilominus ita loqui in præfatione illa docuerit.

II. Locus Deut. 22. & Jos. 8. 37. de Deuteronomio seu de maledictione & benedictione cap. 27. &

accipiendus est. Vide vers. 32. Jos. 8. מִשְׁנַה תֹּוֹת.

III. Quod de Mose sermo sit in tertia persona, non est alienum ab historico sua gesta narrante. Vide Joh. 11. vel si profana velis lege *Iulii Cæsar's commentarios*.

IV. Gen. 12.6. *Et Canaan tunc habitabat in illa terra*, dicitur ideo ut appareat, Abrahamum cum Loth, non fuisse primos possessores, sed alios, quibus Deus expulsi, semini Abrahami illam erat datus. Et intererat hæc à Mose memorari, ut inteligerent Israélitæ illam terram quam jam jam ibant occupatum, esse re vera illam, quam Deus Abrahamo dederat. conf. vers. 7. Gen. 12. Quare non apparet hæc Scripta demum esse postquam exterminati Cahaanitæ essent.

V. Gen. 22.14. non significat, mon-  
tem Moryah vocatum tunc fuisse montem Dei, quod fa-  
ctum demum postquam sedes templi cœpit esse; sed  
vel dictum inde vulgo fuisse in adagio: *in monte domini*  
*providebitur*. Vel potius, *in monte quo dominus videbi-*  
*tur*, vel videtur. q. d. *in monte visionis domini* τὸν ἐν  
regimine est cum integra phrasi, non sine exemplo vid.  
Ez. 14.6. בְּמִכְחָבֵלִי סֶרֶה sic & Psal. 90. vers. 15.

VI. Loci Deut. 3. 11. sensum, primò pravâ versio-  
ne debuit corrumpere. Verbum substantivum erat non  
apparet in textu, ut nec repetitio, *is certe lectus*. Dici-  
tur Og regis Basan reliqui ex Gigantibus spondam fui-  
se ferream &c. Et posse conspici in Rabbat Ammo-  
nitarum. Id quare Moses non potuit narrare? nempe  
quia Rabbat Ammonitarum demum à Davide occupata est,  
ubi monumentum hoc repertum est, ad quod provocat scri-  
pтор, quivis utique alias quam Moses. Rabbat filiorum  
Ammon Gileadi utique, quæ h.l. subacta narratur, con-  
termina fuit. 1. Sam. 11. Jud. 10. 17. fuitque forte di-  
tionis Basanicæ aut Gileaditicæ (quæ enim ratione  
sponda regis Og isthinc loci fuerit?) tulit autem nomen  
Rabbat Ben-Ammon ad differentiam aliarum civitatum

ejusdem appellationis. Incolas autem regni Basan cum finitimi sive fuisse Ammonitas, illosque deinde rebelasse, Jud. 10. & 11.) & regem habuisse, Rabbatam recuperasse, & demum a Joabo rursus subactos esse magis est probabile, quam ut propter mentionem ejus tanquam urbis subjugatae pentateuchus debeat reprobari. vide & Iosuæ cap. 13. vers. 25. Quantum ad alteram difficultatem, quam ex vers. 14. sibi singit noster, debuisset legere Num. 32. 41. ubi idfactum narratur, quod h. l. repetitur tantum, simuque mutationem nominum tunc factam, ratam & in usum introductam fuisse declaratur. Tair autem, ne & hoc quenquam remoretur, filius Menassis dicitur (cujus erat ex nepte abnepos) quia ex Chezronis avi Jehuditæ secundo matrimonio cum Macris filia (2. Chron. 2. 21. 22.) prognatus, cum avia tribibus ascenderat ad occupandam terram cis Jordaniem, in cuius possessione cum permansisset cum Menassis, illi tribui accensus est, nondum latâ illâ lege quæ extat Num. cap. ult. & hæc quoque ratio potest esse quare, ut pote aliquo modo ascitius, civitates has secundum nomen suum appellatas voluisse memoretur.

Sed ne videretur Aben Esræ tantum vitulâ arare, de suo complures addit observationes, quas breviter audiemus.

I. Absurdum repudiare historicum sua dicta & facta narrantem, eò quod seipsum jam primâ, jam tertîâ persona exprimat. ( Hæc enim ratio videtur homini nostro accurato, Deuteronomium Mofi abrogandi.) Ubi enim quis se perorâsse narrat & orationem ipsam describit, non potest se introducere aliter loquentem quam loquebatur orator; at ubi deinde res gestas alias exponere pergit, inter quas ipsem et quoque partem obtinuit, nomine se, ut alias personas eodemque ordine proponit. Dicitque ex. gr. Cæsar in commentariis dixisse Cæsarem, quod Moses Mosen.

II. Nihil refert, (Deut. ult.) clausulam operum Mosis

sis à Josua successore, aut alio sequentium librorum scriptore (de quo mox) adjectam fuisse.

III. Gratis supponit Gen. 14. 14. eundem locum indigitari, cui nomen demum istud post Mosen à Dani-  
tis tributum esse legitur. Jud. 18. 29. Fateor de alio  
loco istius nominis, me non legisse, sed ausim propterea  
affirmare contra illustria testimonia, Mosen hæc non  
scripsisse? Imprimis quum ex situ utriusque colligi  
posse videatur, diversa loca indigitari.

IV. Exod. 16. 34. nil habet difficultatis, cum Mo-  
ses mortuus sit sub introitum in terram Canaan, vide-  
ritque jam multos ex populo agros possidentes, &  
Mannâ non indigentes. *Genesios* autem 36. 31. non de-  
scribuntur *reges Esavitarum usque ad Davidem* (siquidem  
octo tantum recensentur: ) sed usque ad tempus, quo  
Israël reipublicæ formam obtinuit, & sub duce suo E-  
domæos aggressus est, ut ex. gr. Amalekitas Esaviticæ  
propaginis partem Exod. 17. sed scopus loci esse vide-  
tur, Esavi posteros jam regnasse diu antequam Israëlitæ  
ad pileum & libertatem & imperium proprium tradu-  
cerentur. Quod scire intererat propter benedictionem  
utriusque, Gen. 27.

Quod pag. 113. iterum de parenthesi, Deut. 2. 12. in-  
serta cavillatur, nullius momenti est, quidni enim Mo-  
ses quoque id potuit fecisse? Israële jam incipiente  
occupare terram suam. Idem sentiendum de altero  
loco cap. 10. ubi sanè nihil quicquam, quod Esdras re-  
ferat adornatorem, quomodo cunque vers. 8. cum prior-  
ibus connectas. Sed mireris hunc polypum pro lubi-  
tù mutabilem. Deuteronomium hic *Esdras* adornavit  
*interpolando & in ordinem redigendo*. Sed sequenti capi-  
te audiemus eundem immaturè mortuum antequam  
manus adornatrix vel Genesi admota fuerit. Interest  
mendacis, ut sui sit memor.

Admittimus quod pag. 108. & 109. demonstrat Mo-  
sen aliquid scripsisse, sed frustra negat scripta omnia,

aut quæ scriptis, nobis relicta esse. *Lex Mosis* (non repetitio legis tantum) *scripta*, præsidibus populi ad custodiam usumque irremissum commendata, est & arcæ sacro sanctæ *imposita* Deut. 31. vers. 9. & 26, cuius autographum tempore *Josiae* repertum in templo (2. Reg. 22.) non modo ipsa fæderis Sinaitici verba, sed & leges placitorum, & dogmata cultus externi & carnalis (vers. 21. coll. Lev. 23. 5. & Exod. 12.) imò comminationes in fædifragos, & prophetias de judiciis Dei in contumaces effundendis, complectebatur. vers. 13. & 19. ita habemus totum ferè *pentateuchum* exceptâ Genesi. Quæ adesse debuit quandoquidem radicem & fontem cæretorum refert, complectens primaria capita, fine quibus reliqua intelligi non possunt, ut de Patriarchis & Dei cum illis pacto fædere & promissis Testamento, sacramento circumcisionis dato, descensu in Ægyptum, itemque creatione mundi, Noacho, & filiis, terrarumque inter ejus posteros distributione &c. Idemque proculdubio, jam dudum satis notus *liber legis Mosis & Dei* est in quo *Esdras* erat versatus & quem ad legendum proutlit *Nehem.* 8. 1. Efr. 7. 6. & 10. populo inde itâ commoto quemadmodum *Josiae* tempore vers. 9. Constatbat saltem hic liber justo volumine, si quidem spatio aliquot dierum perfectus est, vers. 18. Et certè loca illa legenti patet potius fuisse jam ante libram illum, quam ab *Esdra* compositum & adornatum, quod nullibi dicitur. Cæterum *Estram* libros *Chronicon* concinnasse & fortè reliquos quos invenit libros sacros, prophetas, ut vocant, priores & posteriores (nam fuisse illos in Piorum manibus tempore exiliis vel ex Daniele patet cap. 9. vers. 2.) in unum volumen compiegisse, citra periculum authoritatis inde obscurandæ admittri potest, siquidem non *Estras* modò *vir dinus* fuit, sed & *Haggæus*, *Zacharias*, *Malachias*, suam proculdubio curam interposuerunt ne quid præjudicii codici sacro, seu negligentia seu temeritate accresceret.

ret. An verò libri Josuæ, Samuëlis &c. ab illis compositi sunt quorum nomina præferunt, vel an nomina illa argumentum primarium potius quam authores denotent (ut certe *Judicum*, *Ruth*, *Regum.*) parum nostrâ, aut nihil refert, est enim primarius illorum librorum scopus historiam Israëlis nectere, ut apparerent vera & certa quæ Moses prædixerat. Idque opus erat, tam illorum temporum *spei* de impletione majorum & meliorum promissionum, quam nostræ fidei suffulciendæ. Id suo quoque tempore Prophetas & sacerdotes rebus sacris præfectos, fecisse ex Jof. 24. 26. videtur esse verisimile, nempe ab illis res gestas, quarum memoria necessaria videbatur, in sacrum archivum ad monumenta Mosis reconditas esse. Sed *mala fortuna nos illas habere si ne ordine & methodo raptim & obiter consarcinatas*, ut nostor asserit, in eo & sibi contradicit, & nihil quicquam affert quod monumentum aliquod habeat. Nam pag. III. 112. 113. Connexionem, methodum, materiam homogeneam & studiosè rejectis heterogeneis conquisitam agnoscit & propugnat, dicitque ita *adornatos illos libros esse*. ast. pag. 116. & seqq. ordinem & connexionem desiderat; *easdem res varie repetitas queritur*, denique compilatorem *ἀχερόλογον* accusat. Videamus tamen, quâ fronte, quâve successu. Gen. 38. de *Juda* & familia narratio non est suo loco. Res enim post Josephum venditum gesta esse non potest. Tempus enim à translatione Josephi ad descensum Iacobii in Aegyptum nimis angustum est, quam ut *Juda* interea ex Perez duos nepotes potuerit suscipere. Gen. 46. 12. Sed an non id, quod palmarium est in hac historia, contigit cum Joseph esset in Aegypto, nec proinde narrari priùs debuit? at cum jam narrandum esset, debuit altius res repeti & matrimonium *Iehudæ* cum filia *Schuæh*, aliquot ante venditionem Josephi annis initum allegari. Ita hic nihil difficultatis. Jacobum autem septuagesimum etatis annum supergressum, ad Labanum pervenisse non tantum ex calculo, pag. 117. inito,

sed & ex comparatione ætatis Isaaci Gen. 35.28. (quæ quam ibi mors ejus memoretur occasione mentionis quæ de ipso incidebat, cum alioquin aliquot annis vixerit postquam Josephus in Ægyptum translatus erat) patet, cuius sexagesimo Jacob natus erat Geneeos 25. 25. Sed quid absurdum in his, aut ab historico alieni? de Dina, Simeone & Levi quod garrit, quasi nimis tenera ætate illa stuprum pati, hi cædem patrare nequivent, non sequitur, neque enim hæc primo redditus anno gesta esse narratur. Sed Iud. 2.6. repetitur mors & sepultura Iosuæ. quasi vero ad exaggerandam Israëlitarum impietatem hæc & alia ex superioribus repeti non possint. Id enim ex professo agitur hoc capite.

Quantum ad 1.Sam. 16. & 17. (quæ duo, conjicit, continere diversas duorum historicorum opiniones de traductione Davidis ad aulam regiam) consideranti non potest esse obscurum illa ita cohædere & se invicem explicare, ut cap. 17. adducatur ad verificandum dictum servi illius cap. 16. 19. capite autem 18. vers. 2. 3. fiat regressus ad capitis 16. natrationem. Facebat ergo noster cum suis illis nugis de diversis authoribus eorumque inter tam illustri & quæ obscura esse non poterat, descrepantiā. Eodem modo seipsum nullo fundamento fallit in cap. 24. & 26. 1. Samuelis. Sequitur ergo quod maximam speciem habet, *annorum* nimirum ab *Exodo ad templum computatio*. Dicitur enim, 1. Reg. 6. effluxisse 480. at ex speciali historiarum additione longe plures excrescent, nempe secundum nostrum, 580. imo vel 630. juxta aliorum calculum. Sed videamus an, ut exultet, repererit tandem quod pueri in faba. Primum itaque si annos *judicum* in unam summam compingas habebis ex Jud. cap. 3. 10. & 30. cap. 5. 30. cap. 8. 28. cap. 9. 22. cap. 10. 2. & 3. cap. 12. 7. & 9. & 11. & 14. cap. 15. 20. annos 299. quibus si addas 40. *Mosis* Num. 14. 33. *Iosuæ* 16. *Eli*. 40. 1. Sam. 4. 18. *Samuelis* & *Saulis* 40. *Act.* 13. 21. *Davidis* 40. 2. *Samuelis* 5. 4. *Salomonis*

mis 4. 1. Reg. 6. 1. Summa erit 479. quæ cùm exactè cùm altera coincidat, cogitari potest an non tempora miseriae seu oppressionis in *judicis cujusque periodo includatnr*, quemadmodum sanè judices non statim primo sui muneris anno jugum poterant excutere. Et reverà Deboræ anni coincidunt cum tempore servitutis caananiticæ Jud. 4. 4. & Samsonis ducatus cum tyrannie Philistæorum Jud. 15. 29. Quod si jam accedat *hebreæ computatio usque ad sua tempora ab exodo*, vel occupato Hesbone, numerantis *trecentos annos*, circiter, Jud. 11. 26. nempe (ut solent numeri in tali sermone ad rotundos reduci:) itemque Davidem Rahabæ abnepotem legamus (quod fieri non potest, nisi tempora judicum & oppressionum se invicem involvant) licet utique concludere, rationem temporis ita, ut diximus, ineundam, nec scriptorem libri regum tam contumeliosè habendum esse. Nec major ratio vexandi locum. 1. Sam. 13. non enim dicitur *anno etatis primo Saulem regnasse sed anno regni primo* (nam כמליכו ננשׁת לא potest utique esse, *cum unius anni esset in regno suo*) illa gesta esse quæ narrantur. Duos autem regnavit reverà de jure. Nam post rejectionem, unctoque Davide per tyrannidem regnum tantum usurpavit. Nec est quod homo difficilis pro sua morositate historiam hujus capititis evertere velit ex cap. 7. vers. 12. verum est enim sanè quod ibi dicitur, *Philistæos cæsos non perrexisse invadere terminum Israelitarum*, & si quod Israëlitis negotii cum illis deinde fuerit. Manum *zekore contra Philistæos fuisse omnibus diebus Samuelis*. At falsum, cap. 13. narrari *Israelitas à Philistæis invadi*; (sed Jonathanem cum mille Israëlitis invasisse Gebahias Philistæorum stationarios eosque percussisse, ubi & Philistæi ad defensionem se pararint &c. aut *ab iis hoc tempore ad armorum & fabrorum inopiam redactos esse*, sed ante id factum, indeque iussum illum descendendi ad Philistæos fuisse vers. 19. 20. & poterant hi medio tempore

pore pacis tamen cavisse ne ars fabrilis à suis ad Israëlitas deveniret. Et Deus hoc ita singulari providentia disposuit, ut populus suus disceret sibi soli confidere. Quod porrò de cæterorum librorum discrepantiis, itemque tam parum accurata methodo scriptorum, ut *nemo chronologus sine peccato illos imitari queat*, paratragædiatur, facit pro sua illa arrogantia & temeritate quam & alibi notavimus. Præstiterunt jam illam harmoniam chronologi Christiani, antequam iste Thraso *ad rem*, ut ait, *desperatam* provocaret. Nec debebat etiam nisi scripturæ offensus erat, desiderare illam chronologici ordinis concinnitatem, qui supra pag. 112. agnoverat, *certum scopum scriptori sacro præfixum*, eumque ex parte non male definiverat & commonstraverat, nempe ut impletio predicatorum Mosaicorum pæsiceret. Noluit Deus illis nos umbris pascere, quæ hominem detinent potius vanâ curoositate suspensum, quam ut fidem sinceram, conscientiam veram, cordisque puritatem, indeque manantem charitatem queant præstare. Quod adjicit de locis 2. Sam. 6. 2. ubi pro בְּעֵבֶר קִרְיָת־בָּהָל (Kiriath-Bahal) Jos. 15. 60. ) noster posuit *Tehuda*; itemque cap. 13. 37. ubi *nominativus*, antecedentia legenti facile patet; pertinet ad nodum in scirpo quærendum. *Notas autem marginales* plerasque ex *discrepancia exemplarum enatas* negari non potest, verum hoc magnopere facit ad fidem in reliquis, ubi concordant, stabiliendum. Et nullum profectò fidei mysterium est, quod aliquo loco hâc notarum à textu diversitate obscuretur.

**Capite IX.** infelior ejus opera quam collocat in Prophetarum monumentis de ponte dejiciendis.

Videamus ordine, sed breviter. Libros *Chronicon* Ediræ aufert, quia 1. cap. 9. 2. extat *de habitantibus primis Hierysolomam* reædificatam, (quibus utique per singulas generaciones successerunt alii) item vers. 17. nominantur *janitores* qui recensentur quoque Nehem.

11.19. Ergo scriptius liber post Judam Maccabæum. Bellè ! *Psalmos* 88. & 89. tempore captivitatis compositos fidei *Philonis* relinquimus. Argumentum certè illorum longè aliud est quam *Philo* vidit unquam. Sed quatenus per Esdram, Zachariam, Haggæum, Malachiam possint sacri libri collecti & in unum compacti esse, supra visum est. Non desunt viri qui scripturarum plenitudinem adorant, statuentes psalmos nonnullos sub secundo templo compositos & cæteris adjectos esse. Sed Gratia Deo quod sacrosanctum illud psalterium, quo non est aliud in V. T. illustrius omnium mysteriorum Dei compendium, imò promptuarium, gravius calumniari non potuit homo impius. *Proverbia* Salomonis admittit, quanquam non statim collecta, addens encomium, quod, si audisset Salomon, cui longe alia in suis scriptis mens ac nostro placet, *invectus* credo in laudatorem esset ut solebant Christus Salvator & Paulus in diabolum etiam inter laudandum θεούς. *Esias historicus* (2. Chron. 26. 22. ubi ramen intelligi possunt quæ habemus de rege illo relicta monumenta) perire, ergo liber prophetiarum rapsodia est. *Jeremias* non observavit ordinem temporis in concionibus suis describendis ; flocci ergo pendendus. Quasi vero propheta & chronologus eadem lege æstimandi sint. Non potuit *Cicero* orationes & epistolas ; non potuit *Horatius* odas disponere aliter quam tempus ferebat, quo dictæ, quo scriptæ fuerant ? sed quod caput 38. *Jeremias* pertinere ait ad cap. 21. vers. 7. 8. 9. aliamque incarcerationis causam notari quam cap. 37. in eo fallit & fallitur. Ad concionem cap. 21. nemo illi manus legitur injecisse. Liber ergo ambulabat. Secundò vero per legationem à rege rogatus ut apud Deum intercederet, iterum vaticinatur, & postquam exiturus erat urbe, apprehenditur cap. 37. *Psal.* 11, 12. 13. custoditus autem in atrio carceris cap. 37. 21. & c. 38. v. 6. sive istic repetens concionem ad populum, qui ipsum adibat, de transfugio ad

**Chaldæos, sive memoriâ illius (cap. 21. vers. 7. 8. 9.)** habitæ recrudescente, à Principibus qui vel tunc vel nunc illam audiverant, ad *necem* vers. 9. flagitatur, quanquam exitu deinde per variam fortunam feliciore.

Ezechiel vero quod incipit à mentione *anni trigesimi*, arguit equidem notabilem aliquam epocham quæ tunc temporis satis illustris & nota, ut ex gr. annus 18. Iosiac in quem eximia illa reformatio incidit 2. Chron. 34. & 35. at nequaquam *hæc cum alio textu in historico quodam cohæsse*. Nisi quod libri sacri se mutuo respiciunt & continuant. versum tertium iterum male interpretatur. **הַנָּה הַנָּה** non est genericum, sed specifcum de verbo quod mox narrando subjicitur, & additio infinitivi proinde non iterationem sed certitudinem visionis notat. At Joseph lib. antiqu. x. cap. 9. (decimo extar) narrat Ezechiem prædictissime, quod Zedekias Babyloniam non videret, quod in nostro quem ejus habemus libro non legitur. Sed contra cap. 17. Ezech. &c. ubi vero frons? Josephus satis clare indicat, id quod Ezechiel scripsisset non discrepare à Jeremiæ vaticinio, siquidem excæcatus est Zedekias 2. Reg. ult. & proinde non vidit Babyloniam. Josephus dicit idem esse, noster vero contra. Nescio tamen unde Josephus id habeat de epistola Ezechieli Hierosolymam missa. Si tamen verum est, id Zinospæ hypothesis parum juvat. Quod si enim Prophetæ non scripsere sua ipsimet, sed compilata sunt post redditum ex Babyloniam fragmenta hinc inde conquisita, quod audacissimus noster criticus hariolatur, cur epistola illa, quæ non perierat, utique (siquidem post quingentos annos Josepho de illa constabat) non adjecta fuerit? **Jonas autem præter ea quæ scripta sunt, quedam dixit, ergo non scripsit quæ extant.** egregiam vero argumentandi regulam!

De zobo conjecturas, ait ipse, se afferte non satis firmas, imò ex parte blasphemas, quas etiam recitare horret animus pag. 130. sed quod sub initio pag. 131, *svengna* quasi

quasi exclamat, quum testimonium haberi posse putar,  
 scripturam eatenus tantum sacram esse, quatenus per ipsam  
 intelligimus res in eadem significatas, at non quatenus  
 verba &c. id doleant verpuli ejus quibus subinde ira-  
 scitur. Nobis enim id meliori etiam ratione verum est,  
 qui non in literarum apicibus mysteria querimus more  
 Kabbalistico, vel ἐνέγκειαν ex illis elicimus, quod Me-  
 tretrix illa magna per φαρμακίαν facit, sed sensum ado-  
 ramus quem verba sugerere apta nata sunt. A quo cun-  
 que autem Esther. & historia scripta sit, Daniel, Esdra &  
 Nehemias scripti non fuerunt *incerto authore* idque cir-  
 ca aut pest tempora Iudæ Maccabæi. De Daniele nihil  
 quicquam profert ad id probandum neque de Esdra.  
 Ex Nehemias quidem capite 12. allegat quod speciem  
 habet, sed tamen nihil præter speciem: quanquam enim  
 annos 230 (alii 206, alii aliter) numeret à Cyri edi-  
 cto. Esdr. I. I. usque ad Alexandrum, non opus tamen  
 est ut Esdras & Nehemias tam longævi fuerint, si quidem  
 hic posterior narratione suâ temporâ Jadduæ Ale-  
 xandro obviantis attingere potuerit. Hic enim 20. de-  
 mûm Artaxerxis Nehem. I. I. ille verè eodem regnante  
 in Judæam ascendit Esdr. 7. I. quod si addas 24. Arta-  
 xerxis & 23. Darii tertii seu Ochi & Arsenis. 3. usque  
 Darium IV. seu ultimum pervenies, sub quo Jaddus pon-  
 tificatum adeptus est, Joseph. I. II. c. 7. ita habebis non  
 230 sed 51 tantum annos. Versu autem 22. cap. 12. Ne-  
 hem. si velit γρ̄ pro ultra accipere, jam & Jadduæ Pon-  
 tificatum ultra Darium promovere debet, siquidem hic  
 cum Dario conjungitur. Duæque parallelæ temporis  
 demensiones ponuntur. Altera per summos sacerdo-  
 tes ad Jadduah, altera per reges ad Darium. Sed vide  
 mihi rursus vertumnum. Supra conquestus est Mosen  
 non scripsisse in prima persona & proinde non scripsisse.  
 Nehemias verò scribit in persona prima, non tamen ille  
 est, sed nescio quis nomen ejus ementitus. Danielis  
 autem autographum quare semiplenum à cap. 8. incho-  
 er,

er, nisi propter mutatam ex tertia in primam personam loquendi formam? Sed attendere debebat facta primum narrari, deinde futura prædicti, à cap. 7. 12. sed quanquam libri illi ita novitii inquit, attamen multæ mendæ ex festinatione ni fallor, scribentium irrepserunt. Profert discrepantiam indicis utriusque Ezræ. 2. & Nehem. 7. cùm tamen h̄ic illius caput. 2. exscribatur. vers. 5. Primum falsum est, dicere Nehemiam hunc esse libellum recensionis eundem qui extat Ezræ. cap. 2. Ait enim, se invenisse libellum illorum qui primum ascenderant, non autem eundem illum qui apud Esdram descriptus legitur. Deinde pernego descriptoribus hanc discrepantiā tribuendam esse. Nam præterquam quod impossibile planè est, uno in capite tot sphalmata committi, itemque quod sive vocibus expressum numerum supponas, sive literis tantum numeralibus, inauditæ oscitantæ esset, pro ۱ & ۲ scribere ۱, ۹. pro ۳, ۷ aut ۸ idque non semel sed vicies, certum est nullam in hodiernis exemplaribus undique conquisitis reperiri diversitatem, atque ita omnes scribzæ toties errassent eodem modo. Quidni ergo his consideratis possimus cogitare Nehewiæ catalogum continere recensionem in Judæam profectorum, Ezræ verò, concurrentium in Babylonia ad Regis edictum, quorum pars referre pedem cum viderent difficultates maximas, pars decidere in itinere potuerit, accedentibus interim aliunde aliis, ita ut in patriam venientes mille citciter ducentos, quorum genus notum erat, amplius invenirent quam quum numerus erat in Babylonia initus, utrobique autem, adiectis illis, quorum prosapia non erat manifesta, summa esset eadem 42360.

Sed veretur ille, cui tanta scripturæ cura est, ne ejusmodi mendæ in Prophetias ipsas irrepserint, pro exemplo affert quod Jerem. 22. Iechonias יְהוֹנָתָן pronunciatur, id est, semen regium ipsi negatur, cæteroquin filios jam habenti. vers. 30. & 28. quod non video quo-

quomodo contradicatur. 2. Reg. & Ferem. ult. 1. Chron. 3.  
 vers. 18. & 19. nisi sortè Zerobabelē Pedajē filium cu-  
 jus hic mentio, existimet eundem esse cum altero illo  
 Scheathielis, duce Iudæ (in quo tamen falleretur. con-  
 fid. Matth. 1. 12. & Luc. 3. 27.) quanqnam & hic נָתַן  
 non מְלֵךְ fuerit ut Abarbanel ad Ferem. 22. bene obser-  
 vat. Zedekiam verò oculis licet orbatum, inter suos in  
 Babylonia quietè, morbo seniore confectum mortuum  
 & ab exilii sociis cum honore sepultum non video  
 quomodo non verè prædixerit Feremias cap. 34. 45. non  
 gladio sed in pace (id est, non violentâ mortæ) moritu-  
 rum & pro more patrum ejus sepeliendum. Ita sacrile-  
 go hoc labore Zinospa defunctus in V. T. libris, nugas  
 quasdam Iudæorum adjiciens, quas examinare nec li-  
 bet nec vacat, ad scripta Apostolica expugnanda se ac-  
 cingit. Verum eventu tali qui non tantum authorem  
 linguae græcæ, ut fatetur, imperitum; sed & malignum  
 depravatorem S. Scripturæ rursus possit arguere. Futi-  
 lis illa disputatio, quomodo Apostoli scripserint suas Epi-  
 stolas, uti Prophetæ an vero ut doctores? siquidem vera  
 est promissio Christi Math. 10. vers. 19. 20. allegata pag.  
 140. cui addi possent & aliæ ut Ioh. 16, 13. &c. Ab hoc  
 spiritu ita fuerunt docti & ducti, ut pro ratione ministri  
 Euangelici & N. T. hic & nunc (nam & impediti  
 aliquando leguntur. Act. 16.) loquerentur ex Mose  
 & Prophetis quæ viderant & audiverant impleta, quæ  
 que implenda adhuc in ecclesia sequentis temporis re-  
 stabant. Absurda distinctio inter Apostolorum episto-  
 las & conciones, utpote quæ duo non diffentunt in re ipsa  
 sed in modo tantum mentem suam significandi. Falsa  
 denique & impia hypothesis est: diversa immo contraria  
 fuisse fundamenta quibus religionem studuerint super-  
 struere. Loca quæ his evincendis profert partim male  
 translata, partim studio detorta sunt. Ex 1. Cor. 7. vers.  
 6. & 25. (ubi non lego verba producta, hot autem dico  
 tanquam ego infirmus, non autem ex mandato. Confilium  
 do

do tanguam vir quia Dei gratia fidelis est; sed τέτοιος ἀλεγών καὶ συγγνώμην ex concessione, & οὐτε τινὶ ταχίνῃ. Et, γράψαντο δὲ διδωμι αἰσθαντείν τὸν πατέρα καὶ τοὺς πιστὸς εἶναι.) studet probare Paulum non loquutum revelationem Dei, inde non solere Propheticō illum præfari: sic dixit dominus &c. quænam mens Apostoli sit suadentis eo capite in re differenti, quid fideles possint ad sui sublevationem & ædificationem pro natura rei & circumstantiis agere, & sedulò carentis ne jugum videatur Christianis imponere, lectori non potest non esse obvium. Et quoniam Apostoli, mysterium gratiæ Dei in Christo jam impletum secundum prophetias enarrabant (Act. 20.27.cap.26.27. Rom. 1.1.2. Hebr. 1.1.1. Per. 1. vers. 10. 11. 12. 1. Iohann. XI. &c.) non oxordiebantur ut Prophetæ idq; nec in *concionibus* ut in Actis videre est. (Quod ex Zinospæ hypothesi debebant fecisse siquidem ex *revelatione concionati sunt ut prophetæ* pag. 141.) nisi ubi expressa revelatio intercesserat. vid. Act. 11. Sed ratiocinati sunt, inquit, Apostoli, & fidelium arbitratio judiciorum sua submiserunt 1. Cor. 10:15. id est, probabant se manifestatione veritatis apud omnem conscientiam. 2. Cor. 4.2. Prophetæ vero mera dogmata & decreta continent. Quanquam verum est Apostolos ex implemento & prophetiis aliter agere apud conscientiam quam prophetæ; negari tamen nisi à pertinace non potest, prophetas innumeris in locis à rebus & beneficiis præteritis, à fœdere Dei, à judiciis ejus &c. arguenda instinctu spiritus ejusque dictatu petere, ad Israëlitas convincendos. Sed Paulus (ita porro) *urbauitate uititur, à qua Prophética authoritas maxime abhorret.* Rom. 15.15. certè excusatio qualis exstat. 2. Maccab. ult. vers. 39. authoritatem Spiritus S. nequaquam posset decere. Sed Paulus l.c. nihil minus quam hoc agit, ubi tantummodo rationem suæ parresiæ, qua consilium ad ipsos scribendum arripuerit, indigitat. non excusat vel materiam epistolæ, vel dicendi genus, sed suum atimum

nimum declarat, quo ad ipsos commone-faciendum devenerit. Non immorabor nunc illi quod ait pag. 142. *Euangelium tantum continere moralia documenta quæ unusquisque lumine naturali facile assequatur.* Id enim jam supra pertractavimus. Ut autem tandem finiam, frustra. I. Timoth. 1. 11. & I. Tim. 2. 7. allegat ad probandum Apostolos præter *Apostolatum* habuisse nescio quam *docto ratus* autoritatem. Nam ex priori loco triformem Paulum exsculpere debebat, *præconem, Apostolum, doctorem.* Sed alter locus utique docet posteriora duo distinguenda non esse. Nec fides & veritas diversa ibi sunt sed se mutuò explicant. Quid enim, an fides non est veritas? aut an veritas ad conscientiam demonstrata & ad Dei glorificationem recepta non creditur, & fides est? Sed turpius se dat quando Philem. 8. adducit. *Paulus, ait, ibi doctorem egit non Prophetam.* Tu vero ineptis Zinospa, & insanis, & indiges Helleboro. Restat una audacia pag. 143. 144. Omnia mysteria in monumentis Apostolorum proposita, figmenta sunt *pro auditorum, præjudiciis & captu excogitata.* Apostoli enim doctores suam quisque sibi methodum & fundamenta propria alterius principiis saepe contraria elegabant, eaque superstitionem nominat in fine capit. Non dicam jam absurdum esse quod *methodum & fundamenta seu principia confundit*, & quod in linguis & disciplinis ipsis mathematicis, *aliis atq; aliis principiis doctores dicunt posse uti;* non regeram mentiendum non esse, imprimis in rebus sacris & religionis, ut veritas stabilitur. Non abducam Apostoli protestationem expressissimam contra *καπνίδευσιν, παιρηγίαν, δόλον &c.* 2. Cor. 2. 17. & cap. 2. 4. &c. non exscribam Apostolorum epistolas ad demonstrandam *δύναμιν* admirabilem & quæ verè sapientiam Dei referre possit. Non demonstrabo denique Apostolum, etiamsi Iudeos ex scriptura, gentes subinde prius ex natura & ratione convineat, eandem omnibus veritatem inculcasse eamque opia

opinioni & præjudiciis tam Iudæorum quam gentium contrariam. Tantum dicam impietatem authoris inde satis patescere, quod ad rem capitalem probandam nulla testimonia proferat, nisi malevolè & contra conscientiam perversa. Paulus Rom. 15.28. ait se nolle ædificare *suprà altenum fundamentum*, Ergo Apostoli diversa fundamenta doctrinæ habuerunt. Sed quis non videat Apostolum ibi negantem se promptum esse prædicare, ubi vocatum Christi nomine erat, rationem afferre quia nolit gloriam, laudem & præmium laboris alieni in se derivare. Conf. 2. Cor. 10. 13-16. Quod si alias initium fecerat prædictionis alicubi & glaciem fregerat & conversionis fundamenta jecerat, nollebat Paulus in ultimâ parte sanctæ & cælestis civitatis labore ubi alias ex duodecim (tot enim pro numero Apostolorum fundamenta recensentur Apoc. 21.19.) opus inchoarat. Non loquitur de *alieno* sed de *alterius* fundamento, non rem fundatam, sed fundationis authores distinguit. At, pergit. Paulus Rom. 3.27. 28. *cum Jacobo cap. 2.24. e diametro pugnat.* Id falsum esse patet vel legenti Rom. 4. 2. ubi conceditur Abrahamum ex operibus justificatum eâtenus esse, ut gloriationem habeat, non coram Deo tanquam ex merito & justitia propria, postulans vitam & retributionem debitam, sed in Deo apud suam & aliorum conscientiam ut lætari & se beatum & felicem prædicare queat certus per opera Spiritus Sancti, & fidei ac justificationis fructus, se stare in gratia Dei & hæredem salutis esse. Iacobus doctrinæ Pauli non contrarius est, sed vindictus adversus hypocritarum malevolentiam interpretationem. Sed effrontis est quod 1. Cor. 9. 20. ad doctrinam Pauli rapit, cum expressè loquatur de conversatione sua & prudenti charitate in usu rerum indifferentium, nempe attemperasse se fidelium insimitati, ne forte præjudicium aliquod contra personam & doctrinam ejus concipere & ita obex poneretur lucrificationi multorum. Idem agitur Gal. 2. vers. 11. &c.

&c. in quo noster definit cap. xi.

Ita habes, amice, quod sub initium promiseram. Scio non posse tibi non esse gratissimam de illis rebus meditationem. Sed non eo fine tibi transmitto, ut te doceam, sed ut habeas quo alios docere possis, quando non vacat ordine istud finetum fodicare. Vale diu & bene, & amicum, ut fecisti hactenus, amare perge. Dabam apud Ubios p̄id. Cal. Octobreis Anno c̄lō  
Iōe Lxx.

## Post-Scriptum

**Q**UÆ Author ultimis quinque capitibus differit *Politicos* tangunt propriis. Credo à sapientioribus & sanctioribus illi gratias non iri decretum. Falsas & absurdas hypotheses quæ religionis, imò & reipublicæ fundamenta subruunt potius quàm stabilunt, animadvertes & evertes nullo negotio; imprimis ubi superiora tibi plana erunt. Contradiccio illi rursus crebra. Nugæ non infrequentes. Iugentia denique et injustè postulata omnem ferè paginam illi faciunt. Speciminis ergo obiter enoto unam decadem. Plura legenti occurrent.

1. Homo *jus* ad ea habet, quæ cupit & potest impetrare quoquo modo, id est, *juste* ea, rectè, bene cupit, quanquam sint contra *regularis* & *leges*, & *dictamen rationis*.

2. *Jus naturæ* (intellige, in *individuo rationali*) non prohibere *dolos contentiones*, aut alia quæ mala habentur, ad *parricidia* usque; & tamen ubi *jus suum* qui spiam alteri dedit, *fides* est servanda; (quanquam & mox solo metu pacta & fædera roboret & metienda deceat; rursus ait simulandum non esse, seu ore non prodendum, aliud, quàm quod sit mente reposatum.

3. Hominem *Deo non teneri*, sed ad omnia quæ libeat *jus habere*, & conscientiâ planè omni exutum, &

tamen à Deo illum pacto & juramento vinciri & obligari.

4. Supra audivimus, vulgarem & falsam opinionem fuisse in veteribus, Deum, Israëlitarum Deum ita esse ut reliquas gentes aliis gubernandas reliquerit. Nunc verò mutato velo Israëlitæ soli imperium Deo cessisse memorantur. Item supra. Fidei articulum esse, Deum supremum dominium habere in *omnia, omnesque illi ab-solutè teneri obedire*. Sed jam Deus nil juris habet nisi quod illi ab homine creatura ejus, quemadmodum & alii ἀρθρωπίνη κτίσει & potestati humanæ fuerit traditum. Et *status naturæ est in quo nullà religione homo Deo tenetur*. Ita & auditum est superius : *Dei non aliam esse quam naturæ potentiam*. Et tamen hic Deus imperium sibi delatum suscipit in quos nihil ei anteā juris &c.

5. Attamen in *statu naturali homo jure revelato ea-dem ratione tenetur vivere ac ex dictamine sanæ rationis, si nolit, subit periculum*. Quod utique non potest non esse pæna in creatura rationali. Nihilominus *non tenetur agnoscere vindicem jure religionis*. item. Non repugnat juri naturali, quod repugnat rationis dictamini & di-vinæ voluntati.

6. Beatus ille & salvis tantum est, ex principiis etiam rationis qui Deum cognoscit, amat &c. audivimus ex cap.4. Sed *jure* tamen facit, id est, & *recte* & impù-nè qui Deum negligit & cupiditatibus suis tantum indulget. Cujus sanè nec peccatum, nec pæna est, salvis est reverà. *jus* Dei est ut illi benè sit non animo tantum sed & corpore proculdubio, qui ipsum quærit. Ergo ejusdem *jus*, homini per rationem notum, miserum esse qui seipsum solummodò.

7. *Jus summum naturæ esse ut quisque servet seipsum, & tamen jus quoque vivere ex libidine appetitus, & ita, etiam contra rationis sanæ dictamen, perdere seipsum,*

8. *Deus suscipit imperium delatum in populum I-sraeliticum apud Sinai (cùm tamen elegerit Deus illos longè*

longè antè, non illi Deum) eumque ita instruxit ut in perpetuum subsisteret. Sed animo impotens & irā abreptus dedit iegem quæ ipsis causa esset exitii. Ita iratus punivit Israëlitas, & seipsum (malum!) mulctavit populo, & factus est rex sine regno.

9. *Injusta* potest esse aliqua potestatis supremæ sententia. Sed tamen *jus* illa habet ad omnia quæ potest test secundum cupiditatem & affectus, etiam si cum reip. præsentissima pernicie.

10. Potestas suprema ordinare debet cultum Dei. Et tamen *religioni* locus non est, ubi populus non subdit se Deo illique jus regium sua sponte non concedit. Aulam & aulicos & jus suum civile Deus non potest obtainere, ubi rex electus non est. Sed potest & Deus & simul alia suprema potestas religionis moderatrix *summum jus* habere. Et una resp. Ferre Cæsarem & Pompejum. Adde, civem quem liber, ubi jam religio certis legibus à quocunq; firmata est, posse *jure* & impunè quidlibet de Deo ejusque cultu sentire, dicere, disputare, scribere. Teneri tamen *jure* illum cultum contra sensum animi exercere, nec tamen simulare, seu mentis & oris operisque facere divortium.

F I N I S.

Errata quæ Author absens post absolutam typogra-  
phi operam relegendo notavit hīc difficiliora  
exhibere voluit Lectori benigno.

Pag. 4. lin. 18. qui p. 8. l. 4. vita & p. 9. l. 19. obscurum. l. 22. ex  
animo. p. 10. l. 3. ad catenam. l. 13. gloriōsiss. l. 35. imit. Deum. p. 14.  
l. 3. vers. 2. l. 8. Exod. 3. l. 9. solo *Des.* p. 18. l. 35. Scripturę aliis. p. 19.  
l. 32. quid. p. 24. l. 17. dele est. l. 24. menti. p. 25. l. 12. erectione. p.  
27. l. 23. utut. p. 28. l. 35. decret. p. 30. l. 14. quum. l. 27. neque in  
Deo, neque --- necessitas. p. 31. l. 23. æterna. p. 32. l. 6. objectu  
figuræ. p. 33. l. 20. hoc. p. 36. l. 13. aut. p. 37. l. 10. noster. p. 38. l. 18.  
vel refractionis. l. 33. hic egerit. p. 39. l. 29. quærit. p. 40. l. 23. nu-  
merum. p. 41. l. 20. certum & clar. l. 22. comment. l. 32. ut pri. pag.  
43. l. 12. facturum. p. 45. l. 9. de hostibus. p. 46. l. 24. determinante.  
p. 47. l. 17. sat volum. l. 34. temporum. l. 1. p. 48. *Tiber.* l. 33. supe-  
rārit. l. 34. potuerit. p. 53. l. 17. momentum. p. 62. l. 14. 1. Ioh. 1.  
vers. 2, 3. p. 63. l. 29. adducam p. 64. l. 12. prædicationis. l. 35. conci-  
perent. Si quæ sint alia, lector humanus facile emendabit.